EXERCITATIO THEOLOGICA

DE LOCIS, SEU FONTIBUS

THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

A REV. PAT. FR.

CAROLO THIL

ORDINIS EREMIT. S. P. AUGUSTINI

AD COMMUNEM USUM

AUGUSTINIANAE JUVENTUTIS

TYPIS VULGATA

—

VOLUMEN I.

—

ROMÆ MDCCCXX.

APUD FRANCISCUM BOURLIÉ

Superiorum permissu.

„ Bonorum ingeniorum insignis est indoles in ver-
„ bis verum amare , non verba : quid enim prodest
„ clavis aurea , si aperire quod volumus non potest ?
„ aut quid obest lignea , si hoc potest ? quando ni-
„ hil quaerimus , nisi patere , quod clausum est ?

S. P. Augustinus lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 10.

AUCTORIS

AD AUGUSTINIANÆ FAMILIÆ

SACRAE THEOLOGIAE ALUMNOS.

PROLUSIO.

Sistit se Vobis, Optimæ Spei Adolescentes, qui Institutum Magni Patris AUGUSTINI relicto mundo secuti, in Eremo nostra, & Campo Ecclesiæ Sanctæ Dei novella germina recenter plantati estis; quique elapso sex fere ab hinc annis lugubri illo, & tristissimo integro fere lustro, in quo cum Institutis regularium omnium ordinum, etiam nostrum Eremitanum, sicut jam antea in plurimis occiduis Provincijs, ita etiam tunc in tota Italia, penitus extinctum atque deletum miserrime jacuit, a mirabili divina Providentia vocati videmini, ut ipsum ad laudem, & gloriam Dei feliciter iterum exsuscitatum, atque erectum, virtute, & studijs vestris ad pristinum decorem, a quo, quod dolenter nimis dico, in immensum fere delapsum esse volentes, nolentes, confiteri cogimur omnes, denuo reflorescere faciatis: sistit se inquam Vobis, atque ad usum vestrum unice consecrata offert se se Exercitatio ista Theologica, quam ad usum meum privatum de Locis, seu de Fontibus Christianæ Theologiæ jam ferme quinque ab hinc integris lustris conscripsi.

Non defuerunt præteritis temporibus, qui ex Consodalibus meis vehementer optarent, & quasi ad incitas non semel me reducerent, ut quæ de-

dicto argumento singulis annis pro munere meo discipulis meis tradere consueveram, typis evulgari facerem, ut ita quoque scholis nostris domesticis communia fierent, & utilia; sicuti ipsi sciunt, quos hic tacito illorum nomine testes appello; semper tamen restiti, & ita restiti, ut nulla unquam elapsis temporibus vere animum meum pulsaverit deliberata vel levis voluntas, qua votis ipsorum obsequi aliquando cuperem, istud inter alia veritus, ne si illa, quæ auditores, & discipulos meos, per meipsum edoceo, & usque modo quotannis edocueram, publico Doctorum virorum judicio submitterentur, detrimentum certum paterer gloriæ illius, quam & qualemcunque Deo propitio, & opitulante laboribus atque conatibus meis apud alios obtinueram; neque enim fas esse putabam spernere in me donum Dei, illudque ingratus, & parvipendens voluntarie apud alios evacuare penitus, aut ad minus valde dubium reddere.

Sed vicit tandem hanc meam verecundiam vestrum, nescio, an opportunum, an innopportunum rectius vocavero, scripta mea exscribendi desiderium: nimirum cum animadvertissem omnes ferme ex vobis, non exceptis illis, qui nuper inter nos institutum Magni Parentis in Eremitana familia ex Hollandia, & Hibernia Juvenes amplexi sunt, emissa vix solemni Professione, avidissime sibi perscribere Exercitationem prædictam, sine dubio in suam Patriam secum deportandam: cumque probe mihi conscius essem eandem non ubique sibi valde constare, & sæpe etiam a memetipso aliter, atque aliter redditam fuisse, ita ut inter repetitas illius scriptas elucubrationes vix unum exemplar alteri ex toto respondeat, plurimum extimui, nec prorsus immerito, ne per frequentes,

& multiplicatas descriptiones, præter illa, quæ in ipsa sibi non valde concordabant, manca multa, atque mutila, & quod magis timendum erat, quandoque etiam multa erroribus plena, sicut vel incuria, vel imperitia describentium crebro fieri solet, nomine meo evulgarentur, atque ita non solum apud nostrates, sed etiam apud exteros auctor dicerer eorum, quæ vel nunquam, vel certe alio sensu a me dictata, & prolata fuerunt: idcirco quod nunquam antea cogitavi, jam serio cogitare cæpi, nimirum ut singula, quæ ad privatum meum usum, sicut dixi, conscripseram, iterato attente retractarem, & ita retractata typis etiam committerem, firmiter ratus, ut posthabitis atque repudiatis omnibus alijs scriptis, hæc tantum genuina, & mea palam facerem; maxime vero, quia hoc modo, & amicis, qui me urgebant, rem gratam facturus essem, & vobis quoque, quod magnopere præterea exoptabam, istud commodi allaturus, ut summotis scriptionibus lucrum temporis utilioribus, & magis proficuis tum Religioni, tum statui vestro exercitationibus insumere possitis.

Atque hæc est, & fuit unica, & sola ratio, qua demum motus sum, ut Exercitationem istam Theologicam in publicum efferendam tandem deliberaverim: neque ulla intercessit, vel vani nominis, vel vanæ laudis, & existimationis acquirendi cupido; imo nec ulla plane intercedere potuit; nam, ut ingenue fatear, neque enim erubesco, & utinam nunquam erubuissem in damnum meum veritatem fateri, cum anno 1795., ad cujus initium Romæ in celeberrima Universitate, & Archigymnasio Sapientiæ primum Cathedram conscendi, materiam de Locis Theologicis publice prælecturus, eandem consarcinavi, pressus tam temporis angustia, quam

officijs mei status, quibus non tantum ordinarijs, sed etiam extra ordinem nunquam non oneratus extiti, sæpe de farina aliorum panem meum parare debui; & licet annis subsequentibus, nactus subinde majus temporis otium, & a proprijs officiorum meorum negotijs paulo expeditior, ea omnia, quæ tunc, vel minus apte exscripseram, vel incongrue conjunxeram, sæpe etiam emendaverim, ita ut Exercitatio ipsa paulatim per sæpe repetitas emendationes, atque transcriptiones a me factas, jam longe antequam postremam manum in illam injicerem, ita mutata appareret, ut non amplius eadem esset cum illa, quam primum fugaci manu conscripseram; quippe nihil fere amplius cum illa commune habebat, quam internam compagem, qua constat, idest rerum, de quibus pertractat, quantum ad illarum substantiam pertinet, sub eadem sectionum, & capitum divisione, materialem distributionem: nihilominus, quia etiam in singulis illis emendationibus parandis, & successivis temporibus paratis, non excepta postrema ista, quam Vobis exhibeo, secundis, & tertijs curis correctam, & auctam; non cessavi aliorum laboribus proficere, quanquam non aperto plagij crimine, idest, non simpliciter exscribendo aliorum opera, sed quod licitum esse, atque honestum, nemo inficiatur, nec inficiari merito potest, solerti quadam, atque sagaci industria convertendo in meam sententiam, quæ præclare in illorum lucubrationibus dicta, & exposita legendo atque meditando offendere mihi contigit; hinc unusquisque jam facile percipit, ut si forte in hac mea Exercitatione quidpiam occurrat, quod laude aliqua, vel commendatione dignum inveniatur, illud omne non tam mihi, quam illis præclaris viris,

atque scriptoribus, Bertijs scilicet, Bellarminis, Wallemburgicis alijsque, quorum divitias mihi proprias feci, & quos suis in locis grato animo nominare, aut nunquam, aut certe nonnisi raro, & incogitanter omitto, adscribendum esse, sicut illis adscribi præprimis debere, ego ipse expresse, & lubens hic palam profiteor.

Dum tamen hæc ita candide statuo, & quæ aliorum sunt, alijs, ut decet quam maxime, gratanter adscribo, & tribuo, putandum minime est, quod omnia prorsus, & singula furum more ab alijs accepta, nihilque adeo in proprio fundo enatum, in horreum meum congesserim; imo vero, absit tamen, & procul recedat, vel levis jactantiæ fumus, pleraque sunt, quæ de meo huc contuli: num probe? num improbe? hoc alij judicent! Principio autem, ut omittam susceptum a me totius hujus materiæ tractandæ ordinem, atque distributionem, quæ sane communis non est, ut quisque hæc legens, per seipsum facile intelliget, cum optime scirem, & sciunt utique omnes, cunctorum animos, ac proinde, etiam illorum, qui Theologicis disciplinis instruendi sunt, nec æquales esse viribus, nec pares ingenio, quia tamen omnes æque in Theologiæ principijs instituendi erant, studui, atque proposui mihi eligere tale disserendi genus, quod omnium capacitati aptatum atque commensuratum esse videretur, talemque dicendi, atque res singulas explicandi modum, quem, & acutioris æque, & minus acuti ingenij caperent, idest planum, non fucatum, ac veluti historicum, qui inter se colloquentium magis, quam subtiliter disputantium proprius est; quem etiam, nisi me vehementer fallit mea opinio, in hac ipsa, quam

Vobis offero publici juris facta scriptorum meorum elucubratione constanter retineo.

Deinde, quoniam Theologiam generali significatione spectatam affirmo nihil aliud esse, quam scientiam Religionis revelatæ, ago hic etiam de locis Theologicis, non nude, & simpliciter, quatenus sunt fontes communes, ex quibus Theologi sua argumenta depromunt ad fidei dogmata demonstrandum, sed ampliori quadam significatione, idest intelligo nomine locorum Theologicorum promptuaria, seu principia generalia, ex quibus omnia, quæ ad Religionem pertinent, vel desumuntur, vel solide demonstrantur; atque ideo studium meum atque conatum præprimis in eo collocavi, ut de locis istis, sive fontibus christianæ theologiæ ita pertractarem, ut eosdem respicerem non nude, & materialiter tantum, seu quatenus in seipsis constant, atque subsistunt, quod commune & proprium est omnibus, qui hanc theologiæ partem scriptis suis illustrant, sed etiam quatenus certam relationem habent ad Religionem ipsam, & quatenus principia e sinu illorum elicita ad statuenda dogmata theologica universim pertinent: sive, ut clarius me explicem, studui de illis pertractare hac ratione, ut principia locis theologicis propria frequenter, & ubicunque opportunum visum fuerit, ad singularia quoque Theologiæ capita illustranda referam, idque eo fine, ut dum illorum notitiam trado, quæ ad doctrinam de locis theologicis immediate & proprie pertinent, spargam quoque hinc inde semina quædam, quæ anticipatam continent, atque exhibent præcipuarum rerum Theologicarum cognitionem, quo fiat, ut quisquis exercitationem istam attento animo percurrerit, jam etiam in præcipuis plerisque sacræ Theologiæ capitibus plane hospes futurus non

sit; an autem in hac re probe me gesserim, nescio: & erit forte, qui parum approbet, vel plane etiam vituperet; istud tamen scio, & experimento didici, hac ratione discipulorum animos felicius præparari, quo curriculum theologicum deinceps alacrius, atque ut mihi videtur, etiam majori cum fructu percurrant.

Porro autem sub hoc eadem respectu, ut omnia comprehendam, quæ mea sunt, sæpe, & præsertim inter opposita argumenta congessi quasdam difficultates, quæ primo intuitu minus opportunæ, atque ad materiam, de qua pertracto, si ipsa in se spectetur, extraneæ etiam subinde videri poterunt, non ob aliam causam, nisi propterea, ut in solutione argumentorum occasionem arripiam explicandi, & applicandi ad materiam de locis theologicis singulare aliquod Theologiæ principium; & attigi suis in locis leviter tantum, ac veluti aliud agendo leviores illas quæstiones, quæ de fontibus istis tam in genere, quam in specie consideratis expendi solent, & quæ ad dogmata Theologica illustranda aut confirmanda, nonnisi remotam relationem habere videntur: sicuti sunt v. g. quæstiones præliminares ad Theologiam universam, puta de objecto Theologiæ; de Theologia ipsa, utrum nempe sit scientia, & cujus generis &c. item quæstiones de Auctoribus singularium librorum sacræ Scripturæ, de illius integritate, genuinitate &c. de membris Ecclesiæ, & aliæ hujus generis complures, quarum uberior notitia facile suppleri poterit ex alijs scriptoribus, qui de hoc argumento pertractant.

Præterea, ut omittam plerasque conjecturas, sicuti sunt v. g. quæ ad explicandam Originem Americanorum in Sect. 1. cap. 1. afferuntur, & est etiam illa de prædicatione Evangelij Apostolorum ad in-

cognitas quoque orbis terræ partes, quam, quod admodum, quo illam perfici ab ipsis potuisse existimo, spectat, & attinet, ex proprio cerebro peperi, & quæ profecto, licet parum philosophica, ac propterea illis, qui philosophando theologizare amant, parum aut nihil plane arrisura sit, majestatem tamen divinæ religionis minime dedecet, atque diversæ aliæ; quæ hinc inde sparsæ habentur: Operis mei sunt animadversiones & notæ omnes, quas in hac lucubratione pro opportunitate rerum frequentes attexui vel ad clarius dilucidandum illa, de quibus actu sermo occurrit, vel etiam ad illustrandum principia, quæ in Theologia usum quemdam generalem obtinent: & quia, ut eandem typis committerem, unicum & solum motivum istud est, atque fuit, ut scilicet eam a privato meo usu ad vestrum transferrem, sicut supra jam testatus sum, & hic iterum testificor, ideo maxime studui illa illustrare ex penu meo, & majori, qua potui brevitate dilucidare, præsertim in notis appositis principia, quæ ad opiniones nostræ Scholæ proprias confirmandas roborandasque relationem aliquam habent, ubicunque ad id præstandum propitia se obtulit occasio.

Deinde, ut vos breviter quoque admoneam de illis, quæ præstiti, in toto hoc studiorum meorum molimine, vanas & inutiles quæstiones ubique resecavi: placita Theologorum a nobis diversa sentientium, de quibus tamen disserendi rarissime occurrit occasio, simpliciter tantum annuntio, nisi forte ex illis sint, quæ communem animadversionem merentur, sicuti contingit, ubi sermo incidit de Casuistarum systemate, quod sub Probabilismi nomine in Scholis indicatur, vel etiam ex illis, quæ in eorum consequentijs præcipua fidei & spei nostræ dogmata aliquo pacto obscurare, ac veluti per cuniculos evacuare videntur,

hæc enim ut verum fatear, liberiori aliquando, nunquam tamen mordaci calamo perstrinxi: acerbiorem criticam tanquam pestem christianæ charitati adversam, penitus refugio: & in controversiis expendendis ferme semper eam moderationem adhibeo, ut vel nunquam sententiam proferam, vel quod probabilius esse videtur, tantummodo statuam: abstineo constanter a vana eruditione, idest a coacervandis plurium in eandem rem scriptorum sententijs, quæ mentem magis onerant, quam instituunt, & sæpe quoque hebetant potius, quam erudiunt: Sanctissimi tantum Parentis & Præceptoris nostri magni AUGUSTINI auctoritate fulcire atque roborare, imo ejusdem quoque plane Verbis sæpe referre sensum meum, ubicunque hoc fieri congrue posse videbatur, & aliqua occurrebat menti meæ illius sententia, nunquam omitto.

Tandem quod spectat ad stylum, & Orationis contextum, nihil de eo me tenet anxium: profecto illum sublimem futurum non præsumo, ne mihi dicatur sutor ne ultra crepidam: *illud autem semper memini, me non doctis scribere, & in theologicis disciplinis jam versatis, sed Vobis, qui in aditis disciplinarum istarum vel nondum recepti estis, vel usque modo adhuc versamini, atque consistitis, quibus propterea non tam sublimia, quam mediocria magis expediunt; & quia persuasum habeo, quod inter diversos docendi modos* is est optimus, quo fit, ut qui audit, verum audiat, & quod audit intelligat, *sicut lib. 4. de doctr. Christ. cap.* 10. *circa finem affirmat modo laudatus Sanctissimus Parens AUGUSTINUS, idcirco curavi ut Exercitatio ista omissis difficiliorum periodorum ambagibus simplex esset, & verax: nempe ejus generis, quæ principia contineret, quibus veritas Religionis nullis stipata rhetho-*

ricæ artis lenocinijs in nativa suā pulchritudine appareat, ita enim licet minus subtiliter dolata, certissime præstabit officium suum, dummodo eandem sine desidia tractare, atque versare non negligatis.

Hoc igitur satagite, ut faciatis optimæ spei adolescentes, & Augustinianæ familiæ novella germina, scientes, quod non vulgarem apud majores omnes sustinetis de Vobis expectationem, cui respondere, & pietati, & Religioni, quam professi estis, maxime congruit; & quam vincere pulcherrimum, fallere autem, apertum dedecus fuerit: & quod ad me attinet, unum istud expostulo, ut laborem hunc meum, quem commodo, & utilitati vestræ unice consecratum volo, æqui bonique accipiatis, meque vestro in theologicis disciplinis profectui studentem, apud D. O. M. a quo bona cuncta procedunt, precibus vestris adjuvetis. Valete.

APPROBATIONES :

Obtemperans Mandato Rmi P. M. Septimii Rotelli Vic. Gen. O. N. legi Opus inscriptum, *Exercitatio Theologica de Locis*, *seu fontibus Theologiæ Cristianæ*, a R. P. M. Fr. Carolo Thil Ordinis Eremitarum S. P. Augustini ad communem usum &c., & nedum inveni nihil continere absonum a Christiana Religione, sed agnovi quod non tam facile habeatur aliud Opus ita in unum breviter ordinatum ex re Polemica, Theologica, Scholastica, Canonica, Historica; quin penitus aufugiat Chronologica. Hac eruditione omnigena preparantur ingenia ad progressum in universum Theologiae cursum, ac fere manuductrice methodo provehuntur. Qua de re judico exercitationem hanc promoveri posse ad lucem.

Dat. in Conv. S. Aug. de Urbe die 23. Augusti 1819.

Fr. Thomas Maria Moralia
S. T. Mag., ac Stud. Reg.

Jussu Rmi P. Mag. Septimii Rotelli Vic. Gen. Ord. nostri Eremitarum S. P. Augustini vidi man. scr. saniore doctrina ita refertum, cui titulus *Exercitatio Theologica de Locis*, *seu fontibus Theologiæ Christianæ* a R. P. M. Fr. Carolo Thil Ord. Eremit. S. P. Augustini

ad comunem usum &c., ut nihil obstare censeam, quominus publica luce eidem frui donetur.

Dat. in Conventu S. Augustini de Urbe die 12. Nov. 1819.

Fr. Laurentius Tardi
S. T. Mag., Exprov.,
ac Rel. S. C. Ind.

Fr. Septimius Rotelli Romanus Sacræ Theologiæ Magister, & Ordinis Eremitarum S. Augustini Vicarius Generalis.

Cum opus, cui titulus *Exercitatio Theologica de Locis, seu fontibus Theologiæ Christianæ &c. &c.* a Rev. Patre Magistro Carolo Thil nostri Ordinis in hoc Archigymnasio Romano Professore, duo Ordinis nostri Theologi recognoverint, ac in lucem edi posse testati fuerint, Nos auctoritate, qua fungimur, facultatem impertimur, ut Typis tradatur, si iis, ad quos attinet, videbitur.

Dat. ex Conventu S. P. Augustini de Urbe die 17. Martii 1820.

Fr. Septimius Rotelli
Vicarius Generalis.

Mag. Fr. Silvester Galloni
Ordinis Pro-Secret.

Loc. ✠ *Sig.*

Jussu Rmi Sac. Palatij Apost. Magistri attente perlegi librum cui titulus : *Exercitatio Theologica de Locis , seu fontibus Theologiæ Cristianæ* a R. P. M. Fr. Carolo Thil Ord. Eremit. S. P. Augustini ad communem usum Augustinianæ Juventutis Typis vulgata , in quo nihil prorsus offendi , quod Catholicæ Fidei , aut Christianis moribus , vel minimum adversatur ; quin potius omnia ad meliorum Theologorum sensum expressa , & exacta adamussim reperiantur . Quare publica luce dignum censeo .

Ex Conventu S. Mariæ supra Minervam die 5. Maij 1820.

Fr. Joseph Faraldi
Ord. Præd. S. T. M. ,
& S. Indicis Congr. Consultor.

Ex eodem Conventu die 26. Maij ejusdem anni 1820. confirmo ut supra .

Fr. Jos. M. Silvestrini Ord. Præd.
Theologus Casanatens .

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo P. Magist. Sac. Palat. Apost.
Candidus Maria Frattini Archiep. Philipp.
Vicesgerens

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Ord. Praedic. Sac.
Palatii Apostolici Magister.

EXERCITATIO THEOLOGICA
DE LOCIS SEU FONTIBUS
THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

PROLEGOMENA.

Præcipuum & unicum fere munus atque officium Theologi in eo consistit, ut Religionem, sive Doctrinam revelatam, circa quam Theologia tota versatur, probe perspectam habeat, sciatque illam rationibus ex proprijs ac legitimis fontibus accersitis planam, & omnibus credibilem reddere, atque ubi opus fuerit, adversus incredulorum conatus non minus, quam adversus hæreticorum sophismata defendere, & in tuto collocare.

Hinc statim intelligitur quo jure omnes qui Theologiam vel alijs tradunt, vel ab alijs traditam apprehendere conantur in illud prius mentem & animum intendunt, atque intendere debent, ut locorum Theologicorum vel ipsi exponant, vel ab alijs expositam acquirant notitiam: sunt enim loci theologici, quantum ad illorum substantiam pertinet, promptuaria quædam, ex quibus omnia, quæ ad Religionem vel cognoscendam vel vindicandam pertinent, desumuntur, & solide demonstrantur, Sed antequam de illis plura singillatim dicamus, opus est quædam præmittere, quæ ad Theologiam universim spectant.

Imprimis autem loquimur hic de Theologia *Viatorum*; & quidem de *Acquisita*, non autem de illa,

quæ vel *Beatorum* est, vel quæ divinitus *infusa* appellatur.

Et generatim spectata sola vi nominis nihil aliud est quam *Sermo de Deo*, a græca voce *Theos*, quæ deum, & *Logos*, quæ sermonem significat.

Eaque sic considerata, varia sortitur nomina pro diversitate principiorum, ex quibus sermo iste elicitur: nempe vocatur vel *Naturalis*, vel *Supernaturalis*, prout sermo de Deo instituitur ex principijs vel naturaliter cognitis, (1) vel etiam superiori lumine extraordinarie a Deo ipso manifestatis.

Non solum Supernaturalis, sed etiam naturalis Theologia diversa obtinet nomina pro diversitate principiorum, quibus utitur: nempe vocatur simpliciter

(1) Hoc sensu non solum Christiani, sed etiam gentiles suas habent, & habuerunt theologias: sic certe Varro, quem S. P. Augustinus doctissimum romanorum appellat in lib. *6.* de Civ. Dei cap. 5. triplex distinxit theologiæ genus in suo Tractatu de Dijs gentium; ut ibidem narrat modo citatus Sanctus Doctor: nempe *Mythicam* seu fabulosam: *Physicam* & *Civilem*. Mythica erat propria Poetarum, Physica Philosophorum, & Civilis Populi: unde etiam est, quod prima maxime accommodata esset ad theatrum, altera vero ad mundum, & tertia ad Urbem: *In primo genere*, ut loquitur Varro ipse apud S. P. Augustinum loco citato, *sunt multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta: in hoc enim est, ut Deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus: in hoc ut Dij furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini: secundum genus est, quod demonstravi*, ut prosequitur idem auctor, *de quo multos libros Philosophi reliquerunt: in quibus est, Dij qui sint? ubi? quod genus? quale? a quo nam tempore? an a sempiterno fuerint? an ex igne sint, ut credit Heraclitus? an ex numeris, ut Pythagoras? an ex athomis, ut ait Epicurus? tertium genus est quod in Urbibus cives, maxime Sacerdotes nosse, atque administrare debent: in quo est, quos Deos publice colere, quæ sacra et sacrificia facere quemque par sit?*

Metaphysica, quando instituitur sermo, de Deo ex principijs entium universalibus: & *Physica* quando pertractat de Deo ex principijs physicis, idest ex natura & proprietatibus corporum derivatis:

Rursus etiam hæc postrema dividitur, & vocatur v. g. *Theologia astronomica* quando ex positione & motu Astrorum, vel *Zoologica*, quando ex proprietatibus animantium, & alijs hujus generis nominibus peculiaribus, prout ex peculiaribus & diversis naturæ principijs unius Dei existentia demonstratur.

Theologia supernaturalis, quæ etiam universim *Sacra* appellatur, est proprie *scientia Religionis revelatæ*: & definitur communiter in Scholis *disciplina sacra, quæ, ex principijs revelatis suas deducit conclusiones de Deo, rebusque divinis, quatenus ad Deum aliquo modo referuntur*: sive brevius *est Dei rerumque divinarum ex principijs revelatis deducta scientia*.

Ex his intelligitur quod objectum primarium & principale Theologiæ sit Deus ipse, secundarium autem sunt res extra Deum; non in se spectatæ, sed quatenus ad Deum aliquo modo referuntur.

Possunt autem res extra Deum ad eundem referri triplici modo; nempe 1. tanquam effectus ad suam causam: sicuti sunt res omnes creatæ *Angeli*, *Homo*, *Mundus &c.*, item omnes rerum istarum vicissitudines: puta, *Prædestinatio electorum*, *reprobatio impiorum &c.* 2. Tanquam media ad suum finem sicuti sunt *Actus humani* tam boni quibus ad Deum tendimus, quam mali quibus ab ipso avertimur. 3. Tanquam instrumentum ad suum artificem: sicuti est *Humanitas Christi* relate ad nostram justificationem (2), & sunt Sacramenta tam veteris,

(2) De hac re S. Joannes Damascenus in lib. 3. orthod. fidei cap. 15. inquit *Caro Christi instrumentum divinitatis exi-*

quam novæ Legis, quibus gratia sanctificans vel olim promittebatur, vel nunc ex Opere operato producitur.

Theologia sacra, de qua hic agimus, dividitur primo in *dogmaticam & moralem*: dogmatica est disciplina sacra, quæ ex revelatis principijs conclusiones deducit circa illa, quæ de Deo, rebusque divinis fide teneri debent. Moralis autem, quæ ex ijsdem principijs deducit conclusiones circa mores, seu circa actus hominum juxta Dei legem & fidei, regulam dirigendos.

Omittimus hic agere de Theologia *mystica*, quæ est pars quædam Theologiæ moralis, quæque tota occupata est in dirigendis humani cordis affectibus in Deum, & quæ proprie ad vitæ spiritualis Magistros, atque ad elevatarum conscientiarum moderatores spectat.

Theologia dogmatica, (3) quæ etiam *Thetica* vocatur, quia ordinarie per Theses, seu Propositiones procedit,

stit: istud tamen non ita accipiendum est, quasi divinitas humanitatem nude tantum inhabitaverit, sicuti docuit Nestorius: sed eo sensu quem explicat Doctor Angelicus S. Thomas 3. part. quæst. 2. art. 6. ad finem nempe quod humanitas esset *instrumentum ad unitatem hypostasis pertinens*. Id est quatenus corpus & anima humana assumpta ad consortium divinitatis in persona Christi fuit instrumentum omnium mirabilium, quæ Deus pro redemptione hominum operari decrevit.

(3) Dogmata fidei, quæ in Theologia Dogmatica ex principijs revelatis deducuntur, spectari possunt sub duplici respectu; nempe primo, quatenus apte inter se connexa sunt & ordinate disposita, & tunc Theologia ipsa vocatur *Acroamatica*: sive quod idem est *Systematica*: & secundo quatenus eadem ad exteros proferuntur, id est ad illos qui fide catholica imbuendi sunt; & tunc vocatur *Exoterica*: sive potius, ut est in usu Ecclesiæ, *Catechetica*.

dividitur in *Positivam*, *Scholasticam*, & *Polemicam*.

Theologia positiva est, quæ neglectis ut plurimum dialecticæ subsidijs deducit Conclusiones suas ex principijs positivis, scriptura nimirum, traditione &c. libera & soluta oratione: Scholastica autem, quæ ex ijsdem principijs deducit suas conclusiones methodo stricta, atque subjecta scholæ legibus ex Aristotelis dialectica potissimum derivatis.

Hinc intelligitur quod Theologia scholastica a positiva minime differat essentialiter sed accidentaliter tantum, idest penes diversam methodum, sicuti pluribus demonstrat Petrus Annatus in Apparatu ad Theologiam practicam lib. 1. art. 1. neque Scholastica dicta fuit ob aliam rationem intimam, nisi ideo, quia usus hac methodo pertractandi sacram Theologiam Scholis omnibus longiori tempore communis fuit.

Theologia Polemica est disciplina sacra, quæ fidei dogmata, & ex illis deductas conclusiones ab adversariorum impugnationibus vindicat, atque defendit: & hæc alio nomine in scholis nostris vocari etiam solet *Controversistica* quia in dirimendis controversijs præcipue occupata est, a Protestantibus autem vocatur *Elenchtica* & *Antithetica*.

Theologia Moralis, quæ etiam simpliciter *Practica* vocatur, ad distinctionem Dogmaticæ, quæ *Speculativa* audit, potest diversimode pertractari: & primo quidem in abstracto, & methodo speculativa per præscriptionem regularum communium: & iterum modo, quodam practico, atque ad particulares casus accomodato: ex quo consurgit particularis quædam Theologiæ moralis species, quæ *casuistica* vocatur, & quæ tota in dissolvendis particularibus conscientiæ casibus simpliciter occupata est (4).

(4) Theologia Casuistica ma- xime exculta fuit sæculo XVI.

Præterea eadem Theologia pertractari quoque potest, primo adhibendo dicta & sententias sapientum & gravium virorum, quibus homines ad consectandas virtutes & vitia fugienda commonefiunt, & excitantur; & tunc appellatur *Parænetica* vel *Commonitoria*: & secundo proponendo ad imitandum exempla Majorum sicuti faciunt, qui Sanctorum & Sanctarum vitas concinnant, atque describunt; & tunc dicitur *Paradigmatica*.

Deinde Theologia sacra solet iterum dividi in tres alias species, præsertim in Scholis Protestantium nimirum in *Symbolicam*, in *Patristicam*, & in *Exegeticam* (5).

Theologia Symbolica nihil aliud est quam comple-

& XVII. Ecclesiæ, eo nimirum tempore, quo Probabilismus in scholis prævaluit: tunc enim omnium fere theologorum animis insedit prurigo quædam decernendi in una quavis materia casus practicos, & resolvendi ed normam probabilium opinionum singularia quælibet conscientiæ dubia; ita ut, qui hunc tradendæ moralis theologiæ modum non imitaretur, jam non inter peritos, & graves doctores, sed inter leves & timidos haberetur, imo *inter omni mulierum imperfectione laborantium*: ut innuit expresse celebris Casuista Caramuel in Epistola dedicatoria ad Antonium Dianam præfixa suæ Theologiæ fundamentali circa medium.

(5) Diversæ istæ Theologiæ species, non tam reales sunt, quam nominales tantum: eas tamen hic commemorare opportunum duximus, quia etiam in scholis nostris usum suum habent, vel saltem congruum est ut habeant: de cætero in Scholis Protestantium obtinent, etiam aliæ Theologiæ species: nempe Foersischius scripsit Theologiam *Comparativam* quæ docet discrimen articulorum fidei fundamentalium & non fundamentalium: Pfaffius scripsit *Typicam* & *Propheticam*: & Jaegerus *Fœderalem*, quæ ostendit ordinem, secundum quem in Theologia agendum est de Deo, & de decretis Divinis: ac tandem Albertus Joachim de Krakevicz composuit Theologiam *Dæmonum*.

xio dogmatum illorum, quæ in Symbolo fidei vel Ecclesiæ, vel sectæ alicujus particularis continentur: ex quo intelligitur, quod Theologia ista diversa semper sit, & esse debeat pro diversitate Symboli quod Ecclesia quævis & secta particularis profitetur (6).

Theologia Patristica est nexus sacrorum dogmatum ex Sanctorum Patrum scriptis derivatus: ubi breviter notari debet, quod hæretici posteriorum temporum lutherani scilicet, & calvinistæ non alios agnoscant Ecclesiæ Patres, quam illos, qui sex prioribus Ecclesiæ sæculis floruerunt, ita tamen, ut etiam istorum auctoritate minime permoveantur, quotiescunque a perversa ipsorum doctrina palam dissentiunt.

Theologia Exegetica est disciplina sacra, quæ docet rationem & modum, quo sacra scriptura exponenda est, verusque & genuinus illius sensus

(6) Ecclesia catholica retinet quatuor Symbola fidei, quæ tamen omnia unam eandemque fidem continent: nempe 1. *Apostolicum* ab ipsis Apostolis fidelibus traditum, licet forte non per distinctos articulos ita ut unus unum, alter vero alium articulum tradiderit, ut aliqui putant, sed in communi, ut cum Erasmo in Colloq. *de fide* sentiunt complures Critici. 2. *Nicænum* in Concilio Nicæno I. generali conditum: in quo addita particula *Homousion* adversus Arianos proposita fuit fidelibus explicite credenda Verbi divini cum Patre *consubstantialitas*: 3. *Constantinopolitanum* quod in Concilio Constantinopolitano I. conditum fuit adversus Macedonianos, seu *Pneumatomachos*, qui negabant Spiritus S. Divinitatem, & quod cum addita particula *Filioque*, ad ostendendam contra Schisma græcorum Processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio tanquam ab uno principio usque modo inter Missarum Solemnia in Ecclesia canitur: ac tandem 4. *Athanasianum* quod incipit *Quicumque vult salvus esse*; quod tamen a pluribus Sancto Athanasio, cui vulgo attribuitur, abjudicatur, atque vel Anastasio Sinaitæ, vel Eusebio Vercellensi, vel denique Vigilio Thapsitano, qui sub nomine Athanasij etiam alia vulgavit opera, attribuitur.

investigandus, præsertim in locis obscurioribus.

Huc pertinet Theologia *Pastoralis*, quæ tota consistit in tradendis illis, quœ spectant ad curam animarum rite obeundam, & quæ propterea omnibus curam animarum gerentibus, & munere aliquo pastorali insignitis non solum utilis est, sed etiam necessaria.

Quæri autem hic solet primo utrum Theologia in genere sit vera Scientia? quæ quæstio ab omnibus fere affirmative resolvitur: nec immerito; nam etiam ipsa deducit Conclusiones suas scientifice, idest ex cognita certa, & evidenti illarum connexione cum præmissis, sicut reliquæ scientiæ omnes; & propterea spectata hoc modo, idest, quatenus Conclusiones deducit, licet principia ejus sint supernaturalia, ipsa tamen vocari debet scientia naturalis potius, quam supernaturalis.

Secundo quæri etiam solet, utrum sit Ecclesiæ necessaria? quod pariter affirmative tenendum esse, nemo est qui dissentiat; sed nec jure aliquo dissentire quisquam potest: verum de hoc argumento iterum redibit sermo Sectione VII.

Nunc, ut jam de locis Theologicis propius agamus: locus alicujus disciplinæ in genere aliud non est quam sedes seu fons argumenti: proinde nomine locorum Theologiæ Christianæ proprie & stricte loquendo intelliguntur sedes seu fontes illi, ex quibus argumenta omnia ad Theologicam scientiam pertinentia eruuntur.

Sunt autem numero decem: nempe Sacra Sciptura, Traditiones, Auctoritas Ecclesiæ, auctoritas Conciliorum, Auctoritas romani Pontificis, Auctoritas Sanctorum Patrum, Auctoritas Theologorum, Ratio naturalis, Philosophia, & Historia (7).

(7) Primus, qui partem istam Theologiæ in Ordinem redegit uno ore merito prædicatur ab omnibus Melchior Canus ex Ord.

Ex his septem priores, de quibus etiam septem distinctis Sectionibus seorsim pertractabimus, vocantur, et sunt proprij atque intrinseci, idest ejus generis, ex quibus Conclusio Theologica directe deducitur; reliqui autem tres, de quibus in sectione octava conjunctim agemus, vocantur & sunt improprij, sive ut eos vocat Melchior Canus lib. 1. cap. ultimo *Adscriptitij ac veluti de alieno emendicati*.

Dum autem, hic decem numeramus locos Tteologicos, in eo morem gerimus recepto jam in Scholis usui; de cætero enim proprie loquendo omnes percommode revocari possent ad tres tantummodo: nempe ad revelationem divinam, quæ in scriptura, & traditione comprehensa est; ad auctoritatem Ecclesiæ, per quam fidelibus illa, quæ credenda sunt & agenda manifesta fiunt, & quæ ex Conciliorum, ex Summorum Pontificum ac Sanctorum Patrum decretis, atque ex Theologorum sententijs nobis innotescit: ac tandem ad rationem naturalem, quæ est veluti extrinsecum munimentum quo fidei dogmata adversus incredulorum, & hæreticorum conatus & machinationes in tuto veluti reponuntur. Sit igitur.

Prædicat. perpolitus & celebris scriptor sæculi XVI. quanquam de eadem materia egregie quoque meruerit Fr. Laurentius Villavincentius Xerezanus Ord. Eremit. S. Augustini, qui eodem sæculo anno scilicet 1565. de illa suum evulgavit opus cum hoc titulo: *de Studio Theologiæ recte formando* item aliud cui titulum fecit: *de formandis sacris Concionibus seu de interpretatione scripturarum populari*: quod opus propter sui præstantiam, & elegantiam latini sermonis simul cum alijs insignioribus eloquentiæ Ecclesiasticæ scriptoribus referti meruit inter Auctores bene loquendi, quorum Collectio typis vulgata fuit Venetijs 1643.

SECTIO I.

DE SACRA SCRIPTURA.

CAPUT I.

De Notione Auctore, & existentia Sacræ Scripturæ ubi etiam de Revelatione generatim.

Sacra Scriptura spectari potest, vel materialiter, & quatenus est Volumen, quod Scripturam Sacram continet, vel etiam formaliter, seu quatenus est ipsum verbum Dei ab hominibus afflante Spiritu Sancto scriptum, certo Ecclesiæ judicio propositum, primam credendorum & agendorum regulam continens.

Si spectetur primo modo, tunc vocatur primo *Biblia* plurali numero, quasi liber librorum a græca voce *Biblion*, quæ plantam Ægyptiacam significat, e cujus cortice olim charta conficiebatur, & secundo *Sacer Codex*, eo quia in rebus fidei & morum summam auctoritatem facit exclusive ad quemvis alium Codicem: & tandem tertio, vocatur etiam absolute, & simpliciter *Scriptura*, eo quia ipsa sola est vera, & numeris omnibus absoluta scriptura, cui nullus error inesse potest.

Si autem spectetur formaliter, tunc vocatur primo testamentum Dei; quia explicat, & testatur singularem Dei erga homines mentem & voluntatem: & secundo Lex divina, quia comprehendit et exhibet præcepta Dei olim quidem Judæis in veteri testamento, postea vero in plenitudine temporis seu in novo testamento Christianis lata, & præposita.

Omnes qui Sacram Scripturam agnoscunt, & recipiunt, exceptis manichæis, qui vetus testamentum a diabolo dictatum fuisse ajunt, conveniunt in eo, quod

principalis illius auctor sit Deus ipse, qui illam Scriptoribus *hagyographis* idest sacris, atque *Theupneutis*, idest divinitus inspiratis scribendam commisit, ita ut eandem quasi sua manu scripsisse videatur: sicuti docet S. P. Augustinus lib. 1. de Consens. Evangel. cap. 35. dicens: *nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt: quidquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit hoc scribendum illis tanquam suis membris imperavit.*

Ut autem intelligatur modus, quo illud factum est, & ratio quam Deus tenuit, quando Verbum suum in scripturam redigendum hominibus istis manifestare voluit; tria hic ante omnia attendi debent, tam ex parte Dei, quam ex parte ipsius scripturæ.

Et quidem ex parte Dei sive Spiritus Sancti scripturam Sacram scribendi inspirantis: primo attendi debet *Revelatio*. 2. *Inspiratio* seu afflatus Spiritus Sancti, & 3. ejusdem Spiritus Sancti *assistentia specialis*.

Revelatio quatenus hic accipitur, idest considerata quatenus Scriptoribus Sacris facta fuit, est manifestatio veritatum ante ignotarum extraordinarie divinitus homnibus facta (1).

Inspiratio autem seu afflatus Spiritus Sannti est impulsus seu motio quædam interior & supernaturalis excitans & movens hominum mentem & volun-

(1) Loquimur autem hic de revelatione immediata: nempe quatenus facta fuit Moysi, Prophetis & Apostolis, quando Deus eisdem vel locutus est vel etiam scribenda dictavit illa, quæ *de suis factis, et dictis nos legere voluit*: nam revelatio quæ a sacris istis scriptoribus ad nos derivavit, & quæ propterea etiam mediata vocatur, est *complexio omnium veritatum quæ fide catholica continentur*.

tatem ad aliquid determinatum fideliter exequendum.

Assistentia vero specialis est singulare Spiritus Sancti adjutorium, quo prohibetur hominum mens & voluntas ne in errorem aliquem prolabantur.

Deinde ex parte Sacræ Scripturæ attendi debent: 1. sicut in omni alia scriptura, Res & sententiæ, quæ duo constituunt id, quod substantiam Sacræ sciptura nominamus: 2. Verba, quibus res, et sententiæ significantur, atque innotescunt: & 3. ipsa dispositio, & nexus verborum, sive stylus & structura grammaticalis.

Præterea diversa plane sunt genera rerum, quæ Sacra Scriptura continentur: nempe alia sunt, quas sacri Scriptores per se, & viribus suis nativis minime noverunt, nec noscere potuerunt; sicuti sunt res omnes Propheticæ, & latentes: aliæ vero, quas ipsi vel proprijs oculis conspexerunt, & experti sunt per sese, vel acceperunt ab alijs, qui hoc modo viderunt, & experti sunt: sic Joannes Apostolus in sua prima Epistola cap. 1. v. 3. ait: *Quod vidimus, & audivimus, annuntiamus vobis*: & Sanctus Lucas orditur Evangelium suum diceus: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ sunt rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere optime Theophile.*

Rursus res aliæ pertinent ad Religionem, idest ad fidem & mores; aliæ vero ad historiam, ad Philosophiam, & alia hujus generis, quæ sacris Scriptoribus vel innotuerunt naturaliter, vel saltem hoc modo absolute innotescere potuerunt.

His præmissis fatentur omnes, nullum esse dubium, quin Scriptores sacri res omnes propheticas & laten-

tes, & generatim eas, quæ Religionem respiciunt, non didicerint nisi per immediatam Spiritus Sancti revelationem & inspirationem; attamen quando sermo est de reliquis, sunt qui docent in Scriptura Sacra multa contineri, quæ sola humana industria conscripta fuerunt: inter quæ recensent imprimis omnia, quæ scriptores ipsi vel viderunt, vel audierunt, docentes, quod ad ea conscribenda nullatenus necessaria fuerit vel revelatio, vel inspiratio, sed tantum Spiritus Sancti directio seu assistentia specialis, qua Scriptores sacri ab errore immunes facti fuerint, quam satis esse putant, ut etiam ista recipi debeant tanquam verbum Dei.

Sunt etiam alij, qui affirmarunt, quod ad Sacram Scripturam absolute constituendam satis sit, ut scriptori inspirata fuerit voluntas aliquid scribendi, ac deinde Spiritus Sanctus eidem in scriptione ita assistat, ut non erret: vel etiam ut Spiritus sanctus omnia quæ in scripto illo continentur vera & salutaria esse testetur (2).

Verum neutra ex his opinionibus videtur dignitati Scripture sacræ plene consulere: nam licet specialis assistentia Spiritus Sancti, qua efficitur, ne Scriptor aliquis in errorem prolabatur, imo etiam simplex illius testimonium de veritate illorum, quæ scri-

(2) Priorem ex istis opinionibus inter alios tutare videtur etiam Henricus Holden in *Analysi fidei*: in illam inclinat quoque plurimum auctor Institutionum Theologiæ in Usum Clericorum Panhormitanæ Diœcesis in Tractatu de fontibus Theol. Disput. 1. quæst. 3. ubi affirmat pro eadem stare Cornelium a Lapide in Comm. in Epist. 2. ad Timoth. Bonfrerium in Prolegom. cap. 8. sect. 1. Bellarminum *de Verbo Dei* Canum lib. 2. cap. 18. Simonium in hist. crit. & Dupinium lib. 1. §. 7. Alteram autem tenuit olim Leonardus lessius; qui tamen paucos valde nactus est sectatores.

pta sunt, satis sint ad concludendum, quod scriptum aliquod omnimodam veritatem contineat, atque ita etiam libris sacris conciliare valeant omnimodam infallibilitatem, quæ illis competit; ea tamen satis non sunt, ut sacra Scriptura vel absolute constituatur, vel in dignitate illa reponatur, quæ illi propria est: nam primo etiam Canones Conciliorum generalium de fide, & moribus, ut omnes fatentur catholici, & decreta romanorum Pontificum ex cattedra pronuntiata, ut suo loco ostendetur, habent adnexam Spiritus Sancti assistentiam, neque tamen proprie vocari possunt sacra Scriptura. Deinde sacra Scriptura est ipsum verbum Dei ad homines missum: at vero verbnm Dei merito vocari non potest, nisi aliquo pacto Deus ipse illud locutus sit, idest sacris Scriptoribus immediate, & per se vel revelaverit, vel inspiraverit, eo prorsus modo quo verbum hominis vocari non potest, nisi ipsum immediate ab homine prolatum fuerit.

Igitur relictis istorum opinionibus concludi debet, quod res omnes & sententiæ, quæ sacra Scriptura continentur, idest tam propheticæ & latentes, de quibus nullus plane est, qui dubitet, quam etiam aliæ, quas naturaliter scire poterant sacri Scriptores, Spiritum Sanctum immediatum auctorem habeant, ita ut, cum actualiter scriberent, illarum notitiam, & cognitionem Spiritus Sanctus vel revelatione, vel inspiratione immediate ijsdem suggesserit: *non enim* ut ait Petrus in 2. Epist. cap. 1. v. 21. *Voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, & Apostolus Paulus in 2. ad Timoth. cap. 3. v. 16. diserte testatur quod omnis Scriptura divinitus inspirata sit dicens *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum &c.*

Idem judicium ferri debet etiam relate ad verba singularia sacræ Scripturæ, saltem considerata sub hoc respectu quatenus ad sensum a Spiritu Sancto intentum specialiter conferunt: nempe etiam ista scripta fuerunt aut revelante, aut inspirante eodem divino Spiritu: quia sic considerata pertinent etiam ipsa ad substantiam sacræ Scripturæ.

Dictum est aut *revelante*, aut *inspirante* divino Spiritu: nam fatendum est, quod tam relate ad verba, quam relate ad res & sententias, quæ Scriptoribus, hagyographis naturaliter jam notæ erant, ijsdem præter assistentiam specialem, ne quid falsum, vel erroneum conscriberent, necessaria non fuerit nova revelatio, sed tantum inspiratio sive afflatus, ut scilicet non omnia ipsis cognita, sed ea tantum conscriberent, quæ scribenda esse Spiritui Sancto videbantur: atque ita etiam ista, ad illam dignitatem pervenirent, ut non essent amplius res, vel sententiæ vel verba mere humana, sed divina, atque exhiberent ipsum verbum Dei hominibus extraordinarie manifestatum, & a sacris Scriptoribus in Scripturam tanquam in publicum monumentum redactum.

Quod vero spectat ad grammaticalem nexum verborum, sive ad stylum, qui multiformis est in sacra Scriptura, licet plures sint, qui affirmant, quod etiam iste Spiritum Sanctum immediatum auctorem habeat; ac proinde quod Spiritus iste divinus diverso sacrorum Scriptorum genio & indoli seipsum aptaverit, ita ut appareat, v. g. sublimis in Isaia, qui in aula regia educatus fuit; humilis autem in Amos, qui erat Pastor, & universim simplex atque ingenuus in Apostolis & Evangelistis: nihilominus quia stylus pertinet magis ad externum corticem, quam ad substantiam Scripturæ, quæ perfecta semper in suo genere subsistere concipitur, quemcumque stylum

quis adhibeat, existimamus quod iste a Spiritu Sancto relictus fuerit delectui, & arbitrio sacrorum Scriptorum.

Neque contrarium evincunt, quæ proferunt adversarij vel ex Hieronymo qui Comment. in Cap. 3. ad Ephesios ait *singuli sermones*, *syllabæ*, *apices*, *puncta in divinis literis plena sunt sensibus*, vel ex S. P. Augustino qui in Epist. 14. inquit, *Se nullius hominis libris tantum deferre*, *quantum divinis literis*: *non ab veritatem*, *quæ par est in utrisque*: *sed ob verba phrasimque dictantis*, *qui est Spiritus Sanctus*: nam utrumque istud testimonium congrue Explicari potest de verbis, syllabis, punctis & phrasi dictantis, non materialiter, sed formaliter acceptis; idest de sensu quem Spiritus Sanctus verbis sacræ Scripturæ subesse voluit.

Nunc ut ostendatur existere sacram Scripturam, præsertim acceptam non materialiter, seu pro volumine, quod illam continet, de quo nullum oriri potest dubium, sed *sicut est vere verbum Dei* ut ait Apostolus in 1. ad Thessal. cap. 2. v. 13. idest acceptam formaliter, & quatenus in ea contentæ sunt veritates extraordinarie divinitus manifestatæ, seu divina revelatio ad homines facta, tria hic per summa capita adversus incredulos (3) demonstrabimus

(3) Incredulorum, sicut diversa sunt genera, ita diversa quoque sunt illorum principia, quibus Exitium divinæ revelationis, illius præsertim, quæ novo fœdere continetur, promovere student: nam alii affirmant materiam esse quidquid est, & existit; atque ita dum spiritualitatem & immortalitatem animæ inficiantur, negant etiam moralitatem actuum humanorum & vocantur *Materialistæ*: alij abjecta ex animo & ejurata quavis religione accommodant externos mores suos ad religionem Principis: & sunt *Indifferentistæ* seu *Politici*: alij negant Deum existere: & vocantur *Athei*: alij putant uni-

nimirum *primo* quod divina revelatio sit absolute possibilis: *secundo* quod eadem homini qualis nunc nascitur fuerit necessaria: ac tandem *tertio* quod in volumine illo, quod sacram Scripturam nominamus manifeste contenta sit.

Propositio I. Divina revelatio est absolute possibilis.

Probatur. Absolute possibile est, quod Deus ho-

versum istud aspectabile a seipso existere, & esse id, quod Deum nominamus; & dicuntur *Pantheistæ*, vel etiam *Spinozistæ* a Benedicto Spinoza, qui systema Pantheisticum, ex orco, in quo sepultum jacebat, revocavit ad vitam: alij dubitant pertinaciter de omnibus, quæ ad Deum & Religionem pertinent: sicuti sunt *Sceptici* & *Pirrhonici*: alij admissa Existentia unius Entis Supremi, a quo omnia creata sunt, inficiantur absolute existentiam cujuslibet revelationis divinæ: & vocantur *Deistæ*: & sæpe etiam *Naturalistæ* eo quia satis esse existimant, ut Deus ab hominibus colatur secundum leges & præcepta naturæ: ex istis autem alij venerantur Christum Dominum ut purum Pædagogum & Præceptorem generis humani, sicuti faciunt *Sociniani*: alij vero per summam & anteactis temporibus inauditam impietatem reponunt illum cum Moyse in numero celebrium impostorum, & sociant utrumque cum Mahumete: quam impietatem primus evomuisse videtur Simon Tornacensis, de quo mentionem facit Thomas Cantipratanus in lib. 2. Apum cap. 48. num. 5. & qui forte etiam occasionem præbuit impio illi libello, cui titulus *de tribus impostoribus*: & isti jure merito vocari possunt & debent *Antichristiani*: Omnium autem istorum conatus eo tendunt, ut religionem catholicam penitus obruant, atque convellant: in quem finem incredibile plane est, quot scripta ad decipiendum incautos illorum opera in publicum sæculo XVIII. & XIX. maxime prodierunt: præcipui autem, nam omnes enumerare non est hujus operis, & qui aliorum Magistri & Antesignani jure haberi possunt, sunt sequentes.

I. *Mathæus Tindalius* natus in Anglia anno 1656. qui scripsit opus cum titulo *Christiana Religio mundo coæva* in quo adserta sufficientia Religionis naturalis conatur ostendere re-

minibus locutus fuerit, illisque veritates, omnes & singulas quæ in sacra Scriptura continentur, extraordinarie manifestaverit; nam universim loquendo nulla plane in hac re elucet vera, & proprie dicta repugnantia: & revera: Veritates omnes in sacra Scriptura contentæ, vel sunt ejus generis, quæ captum humanæ mentis exuperant, & quæ propterea communi nomine mysteria appellantur, vel etiam tales quæ

velatam esse inanem & superfluam.

II. *Thomas Woolston* pariter Anglus natus anno 1669. & anno 1733. mortuus in carcere, in quem ob contracta plurima debita conjectus fuerat: scripsit *Philosophiam moralem* in qua totum suum ingenium in impugnandis miraculis, quæ in sacra Scriptura memorantur, exhausit, & effræni audacia historiam Vitæ Jesu Christi inter morales fabulas recensuit.

III. *Antonius Askley* & ipse Anglus Comes de Shaftbury Joannis Lokij discipulus: ejus lucubrationes vocantur communi nomine *Evangelium naturalistarum*.

IV. *Thomas Morgan* itidem Anglus scripsit opus impudentissimum sub titulo *Axis ad radicem arboris posita* in quo negat Christum esse Messiam in lege promissum: & docet illum non alio sensu redemisse genus humanum, nisi quia moralem doctrinam a Judæis corruptam primævæ integritati restituerit: ac propterea denominat illum *Pædagogum* veræ & sinceræ doctrinæ moralis.

V. *Bernardus de Mandeville* in Belgio natus medicinam Londini Professus, scripsit fabulam de *Apibus* in qua nititur ostendere, quod Religio Christiana publicæ statuum felicitati valde noxia sit, & vitia foveat.

VI. *Albertus Radicati* de Passarano Italus Victoris Amadæi Ducis Sabaudiæ Minister; metu Inquisitionis Sancti Officij territus, & in Angliam profugus, instituit comparationem inter Christum & Lycurgum, fecitque unum alteri æqualem.

VII. *Franciscus Arovet de Voltaire* Gallus Naturalistarum facile princeps de quo Cosmas Schmalfus in hist. Religionis & Ecclesiæ Christianæ part. IV. §. 3. num. 12. sensatissime pronuntiat, dicens *cavillat omnia instruit nihil, sibique sæpius contradicit*: multa scripsit, & in omnibus istud fere semper connititur, ut poetico & satyrico sale, quo plurimum

lumine nostræ rationis intelligi & percipi possunt: atqui nulla plane est repugnantia, quin Deus utrasque hominibus extraordinarie per seipsum manifestaverit: nam si aliqua esset, ea certe se teneret, vel ex parte Dei, vel ex parte ipsarum veritatum, vel denique ex parte mentis humanæ, quasi ea incapax sit alias percipere veritates, præter illas, quæ usu rationis sibi innotescunt: atqui nihil horum jure di-

abundat, dogmata revelata lectoribus suis ridicula efficiat: dicitur de illo, quod ante vitæ finem semel professionem fidei etiam coram testibus emiserit, sed revera in exitu suo Naturalista, ut vixit, etiam mortuus est Parisijs anno 1778.

VIII. *Carolus de Secondat* Baro de Montesquieu pariter Gallus: edidit librum *L'Esprit de la loi* in quo totam moralitatem actionum humanarum, docet desumendam ex diversitate climatum: scripsit etiam *les lettres Persannes*.

IX. *Joannes Jacobus Rousseau* civis genevensis ex Patre *Automatario* natus: inter alia multa scripsit duas fabulas romanenses, unam cum titulo *Julia seu nova Heloissa*: alteram autem *Emilius seu de educatione*; in priori connititur incerta reddere principia omnium veritatum: in altera autem contendit, ut homines in omnibus naturam sequi debeant; nullumque passionibus suis imponere frænum: præterea scripsit etiam *les lettres de la montagne*, in quibus defendit & vindicat suum Emilium: tandem scripsit quoque celebre opusculum cum titulo *Contract Social*: quod opusculum Voltairius parte III. *Nouveaux melanges* contractum insociabilem denominat occasione propheticæ cujusdam prædictionis quam Rousseavius affert; & infallibilem putat in suo contractu dum cap. 8. fidenter pronuntiat, *Russi volentes subjugare Europam, subjugabuntur ipsi; et Tartari dominabuntur illis et nobis*.

X. *Mirabaud* pariter gallus scripsit librum omni impietate plenum cum titulo *Systeme de la nature, ou des loix du monde physique et du monde morale* in quo purum profitetur materialismum, & docet aperte nihil aliud a nobis cognosci, nihilque exisrere in rebus præter materiam & motum, quem simul cum illa necessarium & æternum esse statuit: ac propterea negat explicite

ci potest; non primum; nam supposita Dei existentia, quam hic adversus Atheos jure supponere possumus, tanquam aliquid, quod non semel, sed centies & millies jam demonstratum fuit, statim intelligitur, quod Deus sit ens perfectissimum tam in essentia, quam in suis attributis; adeoque est etiam liberrimus in omnibus suis operibus ad extra; & cum sit etiam Omnipotens, potuit, & potest semper, non solum ordinarie, & per lumen rationis hominibus liberaliter inditum, sed etiam extraordinarie,

existere deum, & ausu temerario eo usque procedit, ut deposita omni verecundia, & majori quam diabolico fastu titanum more Deum ipsum lacessire non erubuerit, eumque palam provocaverit dicens, ut si vere existeret, vindicaret se contra seipsum, qui ejus existentiam ita aperte denegaret, in qua re imitare profecto voluit Judæorum perfidiam dum Christo Domino in cruce pendenti illudunt apud Marcum cap. 15. v. 32. dicentes *Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus*. Sunt tamen qui putant, quod pestiferi hujus Operis auctor non sit Mirabaudius celebris Jurisconsultus, sed academicus quidam Berolinensis cognomine *Marianus*. Vid. novum Dictionarium historicum sive Compendium historicum omnium virorum illustrium Tom. XI. pag. 334. edit. Venetæ anni 1796.

XI. *Julianus Offredus de la Mettrie* Poeta & Medicus Gallus, qui diversa conscripsit opuscula, in quibus crassissimum materialismum docuit: inter alia autem scripsit *l' Histoire naturelle de l'ame*: item *l' Homme machine*; *l' Homme plante*: præterea *Epitre a mon Esprit.* fuit autem præceptor Friderici magni Regis Borussiæ; qui eidem, post ejus mortem, sequens composuit Epitaphium. *Ci git la Mettrie, petit Philosophe, mediocre Medicin, et gran fou.*

XII. *Joannes Claudius Helvetius*, qui scripsit librum cum titulo *l'Esprit* in quo vim cogitandi, & omnem hominis præ bruto prærogativam derivat ex sola organizatione partium corporis humani affirmatque organizationem istam esse fundamentum omnium appetituum hominis: atque ita evertit cum religione etiam hominis liberam potestatem agendi vel non agendi.

& per lumen revelationis creaturis suis rationalibus loqui: ergo nihil plane repugnat ex parte Dei, quin etiam postremo hoc modo revera locutus sit: sed neque repugnat ex parte ipsarum veritatum; nam si sermo sit de veritatibus primi generis, idest de illis, quæ mentis humanæ aciem exuperant, nihil plane est quo ostendatur impossibile esse, quod eas Deus revelaverit: imo vero decuit quamaxime, ut eas revera revelaret, & omnibus manifestas faceret, siquidem, ut attendentibus patet, veritates illæ supernaturales, sive mysteria nostræ Religionis sunt de natura sua hujusmodi, quæ ipsa per se ad pleniorem & perfectiorem Dei ipsius cognitionem pertinent, atque conducunt: si autem sermo sit de veritatibus illis, quæ vel rationis usu, vel sensuum experientia innotescunt, & ex quibus plurimæ etiam in Scriptura sacra continentur; nihil pariter obest, quin etiam istas Deus immediate, & per seipsum homines docuerit: etenim ex quo, quando sibi complacuit, ut fieret, & esset creator rerum omnium, non continuo amisit, imo vero retinuit, & retinet semper summum jus in res omnes, ac propterea etiam in creaturam rationalem sive in hominem, ita ut eundem semper iterum & perfectius docere possit per seipsum, & immediate circa omnia, etiam illa, quæ in prima creatione una cum lumine rationis eundem semel jam edocuerat; tandem, si loquamur de mente nostra, licet hæc finita sit, & limitata, atque ideo viribus suis nativis supra seipsam, & in cognitionem veritatum supernaturalium assurgere nullatenus possit, est tamen a Deo ita comparata & instituta, ut capax sit intelligere omne verum, dummodo istud sibi apte proponatur (4), atque certo & infallibili aliquo medio illi

(4) Innuit hanc veritatem Christus ipse, qui *est via ve-*

innotescat. Igitur ex nulla plane parte repugnat, quod Deus hominibus veritates tam supernaturales, quam naturales quæ in sacra Scriptura contentæ sunt, extraordinarie & perseipsum manifestaverit, adeoque divina revelatio est absolute possibilis.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. 1. Impossibile est omne id cujus ignoratur modus, quo fieri possit, atqui de divina revelatione ignoratur omnino quomodo hominibus fieri possit; ergo est impossibilis: deinde veritates supernaturales sive mysteria, quæ in prætensa revelatione continentur, sunt rationi opposita: nam primo non possunt per rationem intelligi. 2. Nulla plane est illis cum ratione convenientia, & 3. Possunt oppugnari argumentis, quæ ratione dissolvi nequeunt: ergo illorum revelatio est impossibilis.

Respond. ad primum *nego maj.* nam multa sunt in rerum natura, quæ quotidie fieri conspicimus, quorum tamen modum, quo fiunt, causam, & progressum continuo ignoramus: quamobrem licet verum esset, nos perfecte ignorare, quomodo hominibus fieri possit divina revelatio, non proinde sequeretur illam impossibilem esse. Sed revera sunt plures modi nobis cogniti, quibus illam fieri posse sine ulla difficultate concipimus: profecto enim nihil prohibet,

ritas et vita Joan. cap. 14. v. 6. dum ad discipulos suos ibi cap. 16. v. 12. ait *adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: quæ expendens S. P. Augustinus tract. 96. in Joan. cap. 4. inquit *si ergo in charitate proficiatis, quam diffundit in cordibus Spiritus Sanctus, docebit vos omnem veritatem: vel sicut alij codices habent, deducet vos in omni veritate.*

quin Deus loquatur hominibus manifestando seipsum illis ; & excitando, atque afflando in illorum mente cognitiones illarum veritatum, quas ipsis hoc modo manifestare voluerit ; nam hoc modo certe locutus est Paulo quando *raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui* ut Apostolus de seipso testatur in 2. ad Corinth. cap. 12. v. 4. & quando Evangelium didicit *per revelationem Jesu Christi* ad Galat. cap. 1. v. 12. idest immediate ; vel etiam mediate ; puta vel per visionem, vel per somnium, vel per distinctas voces : nam ita manifestavit se Deus primis Parentibus Genes. cap. 2. & 3. item Noemo Gen. cap. 9. & Moysi Exodi cap. 3. & 4. atque Paulo Apostolo in actis cap. 9. v. 4. per visionem autem factus est sermo ad Abraham Gen. cap. 15. v. 1. item Isaiæ, Danieli alijsque Prophetis : & Jacob vidit in somno scalam quæ cœlos tangebat, & descendentes Angelos Gen. cap. 28. quæ satis sunt ad concludendum falsum quoque esse quod penitus ignoremus omnem modum quo divina revelatio hominibus fieri possit.

Ad alterum *dist.* Veritates supernaturales seu mysteria sunt rationi opposita apparenter *conc.* vere ac realiter *nego* tota veritatum supernaturalium seu mysteriorum, quæ in divina revelatione continentur, cum ratione oppositio non est nisi apparens tantum : nam universim vera & realis oppositio non datur, neque dari potest, nisi inter res ejusdem ordinis, quarum una directe excludit alteram : at vero mysteria revelata, & eorum objecta sunt supra naturam, ratio autem nostra concluditur inter res naturæ, neque exhibet, aut continet in sinu suo, nisi ideas rerum, quæ naturæ limites non egrediuntur : ac proinde sunt diversi ordinis : ideoque si inter mysteria, & rationem aliqua intervenit oppositio, illa certe non consistit in eo, quod veritates illæ, quæ

mysteria vocantur, sint directe rationi nostræ oppositæ, ita ut seinvicem excludant, sed tantum in eo, quod inter ideas rationis nulla sit, quæ veritates hujusmodi vel clare repræsentet, vel etiam evidenter excludat; quæ oppositio est mere apparens, non autem vera & realis.

Ut autem hæc magis appareant, notandum hic est, aliud esse, quod aliquid sit supra rationem, aliud vero quod sit contra rationem: supra rationem, dicitur omne id, quod per ideas rationis non intelligitur, nec intelligi potest; sive brevius, quod excedit, & superat captum nostræ rationis: contra rationem autem dicitur id, quod per ideas rationis evidenter excluditur: & quia omnis oppositio directa vera & realis in suo essentiali conceptu importat aliquid, quod est contra rationem, hinc fit, quod inter mysteria, revelata, & inter rationem nulla possit esse hujusmodi oppositio: generatim enim inter mysteria revelata, & inter rationem res ita se habet, nempe ratio ea non capit; ergo etiam pro falsis a ratione haberi non possunt; idest non sunt contra rationem: ac proinde deridendi magis esse videntur, quam serio confutandi increduli, qui, cum fateantur mysteria non posse per rationem intelligi, & nihilominus torquent seipsos, & propriam rationem, ut eadem ex principijs rationis oppugnent, eo prorsus pacto, quo merito deridetur cœcus quisque a nativitate, qui disserenti alicui de coloribus fidem denegat, quia nullam de illis habet ideam; siquidem, ut attendentibus patet, eadem, & par est utrobique ratio.

Ad primam Confirmationem *dist.* mysteria non possunt per rationem intelligi quid sint, & quomodo sint *conc.* quod sint, sive quod revera existant, & reale objectum habeant *ngo.* Cum inter ideas rationis nulla sit, quæ mysteria revelata vel clare repræ-

sentet, vel evidenter excludat, ut modo dictum fuit, consequitur etiam, quod per rationem nullatenus intelligi possit, quid ipsa sint, & modus, quo objecta illorum existunt: verum ad comprobandam rerum possibilitatem, non est semper necesse, ut cognoscamus intrinsecam illarum substantiam & naturam, seu quid revera sint, & modum secundum quem existunt, sed satis est, ut certi simus de illarum existentia: sane enim in rebus quoque naturalibus, quæ sunt objectum proprium rationis, plurima sunt, quorum intrinsecum subsistendi modum minime cognoscimus, & quorum possibilitas propterea nobis aliunde non innotescit, quam ex eo, quia certi sumus, quod revera existant: porro autem, quod veritates supernaturales, sive mysteria, non sint figmenta nostræ mentis, sed verum habeant, & reale objectum, patet manifestissime; nam nemo sanæ mentis negare audebit, quod Deus sit esse perfectissimum, idest undequaque infinitum tam in sua essentia, quam in singulis suis attributis, ergo infinita pariter intelligit, & comprehendit de seipso, quorum rationem & modum intrinsecum tam essendi, quam existendi mens humana nativa sua vi finita & limitata percipere haud potest, ac propterea infinitæ pariter sunt veritates, de quibus, licet ignoremus quid sint, & quomodo intrinsece se habeant, certissimi tamen sumus, quod sint, & existant; id est quod reale objectum habeant.

Ad alteram confirmationem *dist.* Nulla est mysteriorum cum ratione convenientia immediata *conc.* mediata *nego* Utique commune & universale omnium cognitionum nostrarum medium est ratio nostra, & nihil omnino est aut esse potest in mente nostra, quod aliquo pacto ratione nostra perceptum non est, ac propterea cum ratione ipsa convenientiam aliquam

non habeat: verum non est necesse, ut convenientia ista sit immediata, sed sufficit etiam mediata: nam primo certissimum est, quad ratio nobis a Deo indita non fuit, ut ipsa in se, & per se considerata esset regula & norma omnium intelligibilium, sive medium immediatum & unicum quo ad veritatis cognitionem perveniamus, ita ut nihil verum esse possit, nisi id, quod proxime & immediate per rationem nostram percipimus: deinde duplex distingui debet rerum genus, unum nempe illarum quæ in sinu naturæ continentur, & alterum earum, quæ sunt supra naturam posita, & quæ ita vocantur, quia inter ideas rationis nulla est, quæ aliquam ex illis clare repræsentare valeat, ac proinde, ut istæ innotescant, non est recurrendum ad lumen rationis, neque ad immediatam cum ratione convenientiam, quæ nulla est, sed ad lumen revelationis, & ad convenientiam mediatam, quæ in eo consistit, quia per lumen istud propter infallibilem auctoritatem Dei revelantis apprehendimus, multa, quæ licet in ideis rationis proxime & immediate non contineantur, ab ipsa tamen ratione certissima esse intelliguntur, hoc ipso, quia nihil magis rationi consentaneum est, quam ut Deo loquenti omnimoda fides adhiberi debeat.

Neque est cur dicant increduli, quod si res ita se habeat, idest si inter ideas rationis nulla est, quæ mysteria fidei immediate repræsentet, ergo fides nostra erit necessario semper irrationalis & fanatica: nam ea, quæ fide apprehendimus, non sunt exigenda ad evidentiam rationis, sed ad evidentiam auctoritatis; universim enim motivum, quo fides tam divina, quam humana rationalis redditur, & a fanatismo libera, est auctoritas narrantis, non autem evidentia rationis; proindeque; cum fides veritatum,

quæ per revelationem innotescunt, sive mysteria nitantur auctoritate Dei revelantis, idest auctoritate summa, cui major excogitari non potest, consequitur necessario, quod sit etiam maxime & summe rationalis, non autem fanatica.

Ad tertiam Confirmationem *dist.* Veritates revelatæ oppugnari possunt argumentis quæ ratione dissolvi nequeunt, apparenter *conc.* Vere & realiter *nego* licet facilius semper sit nodos nectere, quam dissolvere, & plurima sint argumenta quibus increduli veritates revelatas tam in genere, quam singillatim, & in specie spectatas oppugnare pertentant, desumpta ex principijs rationis, nullum tamen est ex illis ejus generis, de quo merito affirmari possit, quod vere & realiter ex ratione ipsa dissolvi nequeat; etenim, ne ad particularia descendamus, quod elementaris exercitatio de locis Theologicis non patitur, eo vel magis, quia viri doctiores nobis opus istud satis superque sæpe jam executi sunt (5)

(5) Incredulorum conatibus opposuerunt sese, & tela illorum quovis tempore confregerunt innumeri propemodum scriptores ex omni christiana religione, scilicet non solum catholici, sed etiam hæretici ex omni secta, Lutherani, Calvinistæ Zuingliani & alij: celebriores autem, præsertim ex catholicis, qui soli sine offendiculo ab uno quovis lustrari possunt, & qui tam generalia quam particularia incredulorum sophismata contriverunt, sunt primo ex Ordine Prædicatorum Vincentius Ludovicus Gotti in opere *Veritas Religionis Christianæ & librorum quibus illa innititur contra Atheos, Polytheos, Idololatras, Mahumetanos, & Judæos demonstrata* & Antonius Valsecchi qui scripsit *de fondamenti della Religione e de' fonti della empietà*: & iterum *la Religione vincitrice* deinde etiam Daniel Petrus Huetius Abrincensium Episcopus præsertim in Quæstionibus alnetanis: præterea in hac eadem materia præclare quoque meruit ex Ordine nostro Jordanus Simonius in insigni opere *de Religione contra Libertinos*,

universim loquendo omnis oppositio inter veritates supernaturales & ideas rationis, non est, nisi apparens tantum, ut supra in responsione ad alterum ostendimus: igitur etiam argumenta, quæ ex principijs rationis adversus mysteria revelata desumuntur, non sunt indissolubilia vere & realiter, sed apparenter tantum.

Opp. 2. Repugnat Deum docere aliquid per revelationem, quod ratione non percipitur: nam Deus non minus est auctor rationis, quam revelationis, & nostro intelligendi modo ratio est prior quam revelatio, atqui in revelatione universim spectata includuntur necessario veritates supernaturales, idest ejus generis, quæ ratione non possunt percipi; ergo pugnat, ut hujusmodi veritates a Deo revelentur.

Resp. dist. maj. repugnat Deum docere aliquid per revelationem, quod ratione non percipitur, & ra-

& in altero cui titulus *Judicium super doctrinam quorundam medicorum de anima, sive hodiernus materialismus sui ipsius eversivus*. Tandem ut omittamus Abbatem Nonnotte, Bergerium & Houtteville, cujus opus cum titulo *Christiana religio demonstrata ex factis* Albertus Fabricius vocat insigne, & contradictionis igne probatum. Montesquium confutavit Joannes Le Laud in tractatu *de divina auctoritate veteris et novi testamenti adversus objectiones Philosophi moralis* Rousseavium autem Christophorus Baumont Archiepiscopus Parisiensis; *Mandement portant condamnation d'un livre qui a pour titre Emilie*; & qui merito primus nominandus erat Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Gerdill in præclarissimo Opere *Reflexions practiques de l'education contro les principes de Monsieur Rousseau*. Verum qui de his plura cupit, adire poterit opus Alberti Fabricij cum titulo *Delectus argumentorum et Syllabus scriptorum qui veritatem religionis Christianæ adversus Atheos Epicureos, deistas, seu Naturalistas, idololatras, Mahumetanos lucubrationibus illustrarunt*.

tioni quoque contrarium est; *conc.* secus *nego.* Quanquam Deus non minus sit auctor rationis quam revelationis, & nostro intelligendi modo prior sit ratio, quam revelatio, ex his tamen nihil aliud sequitur, quam, quod neque recta ratio possit esse opposita revelationi, neque revelatio evidenti & rectæ rationi; ac propterea etiam, quod Deus non possit docere per revelationem, quod evidenti rationi contrarium est, atque oppositum; quia hoc pacto Deus contradiceret sibi ipsi: potest tamen docere aliquid, quod est supra rationem, quia hoc pacto nec contradicit sibi ipsi, nec evertit rationem, quam homini indidit, sed auget potius, & perficit, hoc ipso, quia cum ea in se, & per se inspecta limitata sit, & finita, nec ad alia contemplanda vis ejus, & acies extendatur, quam ad illa, quæ intra naturam continentur, mediante superiori isto lumine, quod revelationem dicimus, eandem ita elevat, atque extollit, ut etiam multa ex illis, quæ sunt supra naturam, & extra sphæram suæ naturalis capacitatis posita, percipiat, atque intelligat.

Propositio II. Divina revelatio est homini, qualis nunc nascitur, omnino necessaria.

Probatur. Homo qualis nunc nascitur, est necessario sibi ipsi inexplicabile ænigma, quod sine revelationis face recte, & congruenter dissolvi nulla ratione potest: nam primo inter omnia animantia, quamvis præ cæteris & præclarissimo rationis lumine dotatus existat, & propterea ingenio & arte omnibus & singulis in immensum fere præpolleat, nihilominus sicut pluribus & diversi generis infirmitatibus continuo expositus est, ita etiam ab infantia ipsa, quæ & diuturnior est in illo, & magis languida, agit vitam omni tempore incertissimam, atque

decedit ex illa fere semper cum doloribus, & cruciatibus vix aut ne vix quidem ferendis, non solum in adulta ætate, & causa vitiorum, quæ male vivendo contraxit, sed etiam in immatura, & innocenti, in qua nihil propria voluntate deliquit: deinde licet toto impetu naturæ feratur in verum & appetat bonum, non raro tamen evenit, ut intellectus tot ac tantis obruatur ignorantiæ tenebris, ut verum, quod inquirit, aut nonnisi ægerrime, aut etiam plane non inveniat; voluntas autem passionibus ita sæpe in transversum agitur, ut pro vero bono sæpissime non consectetur, nisi falsum & apparens: tandem non est plane infrequens non solum inter barbaras, sed etiam inter cultas nationes inveniri homines si tamen homines dicendi sunt, qui brutis ipsis deteriores, sicuti intemperantia, & libidine vitam sibi abbreviant, ita furore perciti, & excæcati mortem ipsam sibi directe inferunt: porro autem mala ista naturæ, & infelicem humani generis conditionem, in qua nunc certe omnes nascimur, sola ratio naturalis explicare nullatenus potest; ac proinde mirum plane non est, si veteres Philosophi, ignorantes malorum istorum veram causam, peccatum scilicet originale, quod ab omnibus contrahi revelatio tandem manifeste edocuit, etiam in hac materia pessime semper erraverint, ita ut vel accusaverint naturam, quod tanquam noverca esset in homines magis, quam in bestias iniquior; sicut sensit Cicero in lib. 3. de Repub. apud S. P. Augustinum lib. 4. contra Julianum cap. 12. vel duo statuerint summa rerum principia, unum bonum, & alterum malum, ut Manichæi: aut opinati sint, quod animæ hominum calamitatibus istis subjectæ fuerint propter scelera in anteriore quadam vita perpetrata, sicuti putarunt Pythagorici, a quibus Metempsychosis, sive systema transmigrationis animarum ab uno

corpore in aliud suam ducit Originem: quam opinionem laudat præ alijs etiam Cicero in suo Hortensio apud modo citatum Sanctum P. Augustinum cap. 15. prope finem, ubi hæc illius referuntur verba: *Ex quibus humanæ vitæ erroribus & ærumnis fit, ut interdum veteres illi sive vates, sive in sacris initijsque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pænarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur* (6).

Deinde quis est inter homines, qui proprio naturæ impetu non sentiat se vehementissime semper ferri, ac veluti impelli ad majorem & majorem, adeoque ad maximam & numeris omnibus absolutam felicitatem? nam ut optime observat. S. P. Augustinus in lib. 6. operis imperfecti contra Julianum prope finem: *quod beati esse volumus, & miseri nolumus, nec miseri possunt amittere nec beati*: igitur ut homo, inditam istam naturæ suæ inclinationem explere valeat, neque sit semper necessario miser, sed rectus, & felix, quantum in præsenti vita esse potest, necesse est non solum, ut seipsum cognostat, quod sine revelatione fieri non posse, usque modo ostendimus, sed etiam ut medijs omnibus adhibitis in summam istam felicitatem viribus suis, quantum potest, nitatur, atque contendat: porro autem, ut istud præstare valeat, necesse est ante omnia, ut

(6) Momenta ista rationum desumpta ex miserijs humani generis apta sunt plurimum ad ostendendam transfusionem peccati originalis in omnes Adæ posteros ex sola naturali ratione: nam ut ait S. P. Augustinus lib. 1. contr. Julian. cap. 39. *Sub Deo justo nemo miser esse potest nisi mereatur* & lib. 3. cap. 77. concludit dicens *quoniam Dei non est iniquum judicium, ideo in miseria generis humanis, quæ incipit a fletu parvulorum, agnoscendum est originale peccatum*.

sciat in quo nam præcise sita sit vera illius felicitas, & beatitudo: atqui nisi succurrat divina revelatio, oportet, ut etiam istud perpetuo ignoret: nam licet omni tempore non defuerint permulti etiam acutissimi Philosophi, & Sapientes hujus mundi, qui studium omne & conatum suum in eo collocarunt, ut investigaverint, quænam sit perfecta & summa hominis felicitas, & beatitudo, ita ut Marcus Terentius Varro, qui inter romanos scriptores floruit anno 116. ante natalem Christi, ut refert S. P. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 2. jam suo tempore numeraverit ducentum octuaginta octo diversas illorum de summo hominis bono sententias, quin tamen ullus ex ijs rem istam acu tetigerit, non ob aliam rationem, nisi quia solis naturæ viribus confisi felicitatem & beatitudinem hominis, non sicut vere est, in fruitione summi & veri boni, quod sola revelatione innotescit, sed vel in bonis animi, sicuti Stoici, vel in bonis corporis, ut Epicurei, vel in utrisque simul sibi fabricare conati sunt, *quanto superbiore, tanto mendaciore virtute* ut concludit mox citatus doctor loco laudato cap. 4. ad finem.

Præterea ut homo, qui nunc nascitur, innatum suum, quod natura sua in se sentit, desiderium erga summam felicitatem & beatitudinem explere valeat, præter cognitionem sui ipsius, & veræ suæ felicitatis ac beatitudinis, requiritur omnino, ut etiam officio suo præserrim erga Deum rite fungatur, atque, si quandoque, ut sæpe omnibus contingit, & contingere potest, ab officio isto defecerit, præsto habeat etiam certum remedium, quo malum suum medere valeat, & gratiam auctoris sui sua culpa deperditam iterum promereri; atqui neque illud plene præstare potest, neque istud præsto habere sine

divina revelatione, ergo divina revelatio est homini, qualis nunc nascitur, omnino necessaria.

Primum patet, nam in quocunque statu consideretur homo, id est sive in statu sociali, ad quem natura ipsum comparatum esse, ratio omnis testatur (7); sive etiam in statu solitario, & sine ulla relatione ad sui similes, idest in sylvis, ut ajunt, in quo illum nasci præter alios somniavit Hobbesius, & ad quem redeundum nobis esse ad vitam beate, & suaviter transigendam, suadet Rousseavius in dissert. *De Origine inæqualitatis inter homines*: sane ex eo solum, quod est ratione præditus, intelligit a Deo creatore suo se accepisse tam id, quod est, quam id quod habet, idest omnia tam animi, quam corporis bona; ergo intelligit etiam eidem deberi cultum tam internum, & qui se tenet ex parte animi, quam externum, & qui externo aliquo signo, ac ritu sensibili perficitur; utrumque autem ejus generis, qui Deo ipsi placeat; atqui nihil horum præstare rite potest sine divina revelatione: nam licet homo naturaliter intelligat Deum amandum esse & colendum, scire tamen nullatenus potest, quomodo genericum istud naturæ præceptum singulorum cordibus inscriptum in particulari exequendum sit, & qualis nam, & quis in specie cultus inter infinite fere possibiles Deo revera acceptus sit? siquidem cum istud dependeat absolute a libera Dei ipsius voluntate, non potest nobis certo innotescere, nisi id Deus ipse primum expresse manifestaverit.

(7) Argumentum istud egregie pro more suo tractavit & in plena luce reposuit præter alios etiam Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Gerdill in aureo Opusculo, cui titulus *discours philosophiques sur l'homme considéré relativement a l'état de nature, et a l'état de Societé*.

Huc accedit, quod ad Deum rite colendum necesse sit, ut Deus ipse prius rite cognoscatur? quomodo autem cognoscetur, nisi seipsum prius manifestet? sane enim cognitio, quam de Deo habemus ex principijs rationis, & ex rebus creatis, non est, nisi cognitio generalis entis perfectissimi, & primæ, ac supremæ rerum omnium causæ: & ex historia omnium temporum constat, quod populi omnes sibi relicti, & revelatione destituti, pessime semper erraverint, tam circa Dei naturam, quam circa ejus proprietates & attributa, ita ut alij divinos honores tributaverint non solum scelestis hominibus sed etiam animantibus brutis: alij vero etiam insensatis rebus, ut Ægyptii, qui præter Deum *Apim*, quem colebant sub specie bovis nigri, etiam cæpas & allia pro dijs habuisse feruntur: de qua re extat vulgatus iste versiculus *oh beatam gentem, cujus hæc nascuntur in hortis numina*. Cum autem homines sint semper homines sibi ipsis æguales, profecto, nisi subvenisset revelatio, dubium esse non potest, quod genus humanum nunquam emersurum esset ex illis ignorantiæ tenebris, in quibus tam diu sepultum jacuit, tam circa legitimam veri Dei cognitionem, quam etiam circa officia, quibus eundem a se coli debere ratio ipsa demonstrat: ergo sine divina revelatione homo, qui nunc nascitur, neque potest Deum rite cognoscere, neque suo officio erga illum rite perfungi.

Patet etiam quod secundo loco positum fuit: nimirum quod homo iste sine divina revelatione præsto habere nequeat remedium, quo gratiam Auctoris sui denuo promereri valeat, si quandoque ab officio suo erga illum deficiat; ac propterea jam perpetuo miser & infelix esse debeat: nam si mundus providentia regitur, sicuti illum regi certissimum est,

profecto justis, qui scilicet officio suo rite funguntur, debentur præmia, jnjustis autem, & qui ab officio suo deflectunt, supplicia: ergo si quis ab officio suo erga Deum deficiat, & utinam vix non omnes aliquando non deficerent, fieri non potest, quin Deus justissimus, sicuti est bonorum operum fidelis remunerator, ita etiam futurus sit districtus malorum vindex & ultor, nisi aliquis præcedat, & certo innotescat divinæ justitiæ placandæ modus: at vero modus iste non potest ullatenus innotescere sine expressa revelatione, nam dependet a sola libera, & absoluta Dei ipsius voluntate: ut per se patet.

Neque juvat reponere, sicut reponunt increduli, Deum placari interno animi dolore, & pœnitudine veniam deprecantium, non aliter, quam sicut placantur homines inter se invicem: nam istud, licet verissimum sit, non tamen facit ad rem: siquidem nulla plane est proportio inter offensas, quas sibi reciproce inferunt homines æque mortales & defectibiles, & inter illas, quas isti inferunt Deo: deinde tametsi etiam esset proportio aliqua, attamen nisi interveniat expressa Dei promissio, nemo certus esse posset de impetrata venia: nam quotidie fere observamus, quod inter homines delicta sæpe puniantur per pubblicam justitiam, non attenta, vel venia impetrata a persona offensa, vel pœnitudine reorum: igitur nisi succurrat revelatio, qua pœnitentibus de peccatis venia certa promittitur, timendum semper esset, utrum quod per justitiam humanam fieri sæpe cernimus, futurum non sit etiam per justitiam divinam: ac proinde universim loquendo, divina revelatio est homini, qui nunc nascitur, omnino necessaria.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. 1. Si revelatio divina esset homini necessaria, ea deberet extendi ad omnia tempora, & ad omnes gentes, atqui hoc modo non extenditur; nam in statu naturæ & ante legem scriptam homines regebantur a lege naturali, & nostris quoque temporibus revelatio non pertingit ad omnes nationes: deinde ad rectum hominis statum satis est, ut mandata servet, atqui ad servandum mandata non requiritur revelatio, nam mandata servanda continentur etiam in religione naturali: ergo revelatio divina non est homini necessaria.

Respond. ad primum *dist. min.* Divina revelatio non extenditur ad omnia tempora, *&* ad omnes gentes, si spectetur ad omnimodam suam explicationem *conc.* si spectetur secundum substantiam *nego* divina revelatio dupliciter considerari debet, nempe semel relate ad suam explicationem, idest quatenus continet objecta fidei, quæ pro temporum varietate modo minus, modo magis explicite, & modo omnimode manifestata fuerunt; & iterum relate ad illius substantiam, idest quatenus simpliciter & absolute est manifestatio veritatum supernaturalium, quæ modo magis, modo minus explicite humano generi innotuerunt: si consideretur quantum ad substantiam, tunc objecta fidei semper fuerunt eadem, & revelatio ipsa sic accepta fuit semper basis & fundamentum veræ religionis: nam hoc sensu facta fuit ipsi Adamo statim post lapsum, & in Adamo omnibus gentibus, ut adeo verissimum sit, quod ait S. P. Augustinus tract. 45. in Joann. *Tempora variata sunt non Fides*: si autem consideretur sub priori respectu, idest relate ad suam explicationem, tunc fatendum est, quod non

fuerit semper, neque apud omnes gentes æque splendida & manifesta: nam universim ab Adamo usque ad Moysem, præter præcepta moralia ab auctore naturæ singulorum cordibus inscripta, non complectebatur explicite credendas, nisi paucas tantum veritates supernaturales: nimirum primo illam de futuro humani generis Reparatore (8), & secundo illas, quæ habebant pro objecto remedium contra originale peccatum, & sacrificia, atque ritus, quibus Deus rite coli, & adorari debebat: sub Moyse vero & Prophe-

(8) Quod futurus hominum Salvator ac Redemptor, idest Messias in lege Moysis explicite promissus jam primis Parentibus statim post lapsum illorum divinitus manifestatus fuerit, potest ex sacra Scriptura clarissime evinci, nam missa opinione Joannis Francisci Buddei, qui in Animadversionibus in Petri Chanvini librum de *Religione naturali* cap. 1. num. 15. expendens verba gen. cap. 4. v. 1. *possedi hominem per Deum*, ab Eva prolata statim ac Cainum enixa fuit, affirmat, quod versiculus ille ita reddi debeat, nempe *possedi Jehova* quasi Eva Cainum suum proprio Dei nomine appellaverit, ex quo deducit primis Parentibus futurum liberatorem a Deo ita promissum revelatum fuisse, ut etiam Deum esse certissime scirent; missa inquam ista Buddei opinione, quæ sane cum authentica nostræ latinæ vulgatæ versione consentanea non est, potest hic ipse sensus non incongrue ex eodem versiculo deduci, si vertatur hoc modo, ut illum verti posse affirmat Calmetus in hunc locum, nimirum si legatur *possedi virum Domini* ita ut sensus sit quod Eva hæc pronuntians *visa sibi est in filio liberatorem suum sub oculis habere* ut inquit citatus auctor: exinde enim etiam hoc modo clare colligitur, quod liberatorem sperabat: adeoque fuit is ipsis certissime revelatus: hoc ipsum ostendit quoque luculenta illa promissio de semine mulieris caput serpentis contrituro Genes. cap. 3. v. 15. scilicet *inimicitias ponam inter se et mulierem, et semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum*: quanquam enim latina nostra vulgata non legat *ipse* ut habetur in hebraico, sed *ipsa*, atque ideo promissionem

tis evasit multo illustrior, tum quia magis explicite proposita fuerunt, quæ ad futurum Messiam, & ad ritus Deo sacrificandi pertinebant, tum etiam quia eadem jussu Dei ipsius literis consignata fuit, & relata in publicum monumentum, in quo populus electus illam facilius agnoscere, & distincte attingere posset: ac tandem per Jesum Christum facta est manifestissima, dum Apostolorum prædicatione penitus explicata, & ad mundum universum propagata fuit.

Neque tamen ex eo, quod divina revelatio minus explicite ab Adam usque ad Moysem, & magis a Moyse ad solum populum Jsraeliticum, maxime vero, &

directe referat ad B. V. Mariam; est tamen revera in ista sententia de promisso jam primis parentibus liberatore, seu de adventu Messiæ luculentissimum oraculum; siquidem *Beata Virgo* ut inquit mox citatus Calmet in hunc locum *non aliter conterere valuit serpentem, quam per filium suum Jesum Christum*: præterea est etiam satis communis apud Theologos opinio, quod omnis ista revelatio ad Adamum facta, post diluvium Noemo confirmata, & renovata fuerit, ita quidem, ut illi præter superius memoratas veritates etiam diversa vivendi præcepta divinitus patefacta sint: quæ propterea etiam in scholis præcepta Naochica appellari consueverunt: sunt autem numero septem ex Bernardo Lamy in Apparatu biblico lib. 1. cap. 13. ubi pertractans de hebræorum legibus multiplicibus, quæ scilicet Noacho, Abrahæ, Moysi datæ sunt §. 4. inquit *horum septem præceptorum primum interdicit cultum extraneum, ut non alius præter unum Deum colatur. Secundum ne profanetur nomen Dei. Tertium ne effundatur sanguis humanus. Quartum prohibet concubitus illicitos. Quintum furtum. Sextum præscribebat ut Magistratus, et Judices constituerentur, qui cum judicarent de illis præceptis, tum commonerent populum de observatione. Septimo non licebat carnem cum sanguine comedere, quod unum ex illis septem præceptis expressum est in genesi cap. 9.* porro autem de præceptis istis notant sæpe Theologi, quod ante adventum Christi & legem Evangelicam illorum observantia cum spe in

omnimode manifestata, & explicata fuit a Christo sicut prius ad universum mundum, inferri jure potest, quod Deus videatur acceptor personarum, ut increduli complures ineptissime inferunt; nam universim acceptio personarum proprie tunc est, quando uni alicui, & non alteri, quorum est vel meritum, vel demeritum æquale, redditur inæqualis, vel retributio, vel pœna: non autem quando prœstatur, vel subtrahitur beneficium uni quod neutri debetur, neque ab uno magis, quam ab altero promeritum est, & ex pura liberalitate, atque arbitrio conferentis, vel subtrahentis; sicuti divinitus factum est in materia revelationis, nam ista, quantum ad substantiam, fuit facta in Adam ad omnes homines, quoniam omnibus necessaria erat; quantum vero ad uberiorem, explicationem facta fuit ad solum populum Israeliticum, cum ea nemini deberetur, & cum etiam a nemine promerita, imo vero ab omnibus potius demerita esset, propter corruptissimos mores in quibus universum genus humanum sua

futurum reparatorem apud gentes, idest apud populos omnes qui non censebantur in populo electo filiorum Israel, satis esset ad consequendam æternam salutem: neque desunt præsertim inter scriptores hebræos, qui septem ista præcepta revocant usque ad initium mundi, ut videri potest apud modo laudatum Bernardum Lamy loco citato, ubi luculentissimum producit in hanc rem ex Maimonide testimonium desumptum ex ejus tractatu de Proselyto cap. 4. nempe *de sex rebus*, sunt verba Maimonidis, *mandata accepit Adamus, de Idolatria, de blasphemia, de homicidio, de illegitimo concubitu, de furto, et de judicijs exercendis: nam licet hæc cuncta apud nos sint recepta a Moyse magistro nostro, et ratio ipsa ad ea observanda inclinet, ex summa tamen verborum legis apparet, quod de his ei præceptum fuit. Præter hæc Noacho traditum fuit aliud præceptum de membro animalis viventis non commedendo sicut dictum est: verumtamen carnem cum anima ipsius idest sanguine ipsius non comedetis.*

sponte veluti sepultum jacebat, patet, quod etiam postea facta sit sine acceptione personarum a Christo ad omnem mundum, eo ferme pacto, quo nulla est acceptio personarum in eo, qui ex duobus æque immeritis vel etiam indignis, erga unum beneficum se ostendit, non autem erga alterum.

Ad primam confirmationem *dist.* In statu naturæ & ante legem scriptam, homines regebantur a lege naturali exclusive ad legem scriptam *conc.* exclusive ad omnem revelationem *nego* Prima mundi ætas spectata relative ad diversos hominum status, quæ scilicet in ordine ad Religionem initium habuit ab Adam, & perseveravit usque ad Moysem, vocatur equidem status legis naturæ; non tamen ideo, quia transacta fuit sine omni revelatione (9), vel quia homines toto illo tempore ex solo præscripto legis naturalis Deum rite coluerint: sed ut distinguatur ab ætate,

(9) Loquimur hic de prima mundi ætate, quatenus relationem habet ad Religionem, & cultum Dei: de cætero enim a creatione mundi usque ad illius consumationem solent numerari septem ætates: e quibus prima sumit suum exordium a creatione mundi, & desinit ad universale diluvium, idest ad annum mundi 1656. & anno sequenti 1657. incipit ætas secunda, quæ completur ad vocationem Abrahe anno 2083. Tertia vero extenditur a vocatione Abrhæ ad exitum filiorum Israel de Ægypto, sive usque ad annum 2517. Quarta decurrit a prædicta liberatione usque ad ædificatum Templum a Salomone hoc est usque ad annum ab Orbe condito 2992. Quinta vero sumit initium a constructione templi Salomonici, & extenditur, usque ad liberationem populi Israelitici ex captivitate babylonica sub Cyro Rege Persarum id est ab anno 2992. usque ad annum 3468. Sexta autem protenditur a soluta captivitate usque ad adventum Christi, idest usque ad annum mundi 4000. ac tandem septima, quæ nostris temporibus a Christo nato excurrit, duratura est usque ad alterum Christi Domini adventum; id est usque ad consumationem sæculi.

seu a statu legis scriptæ, quæ incipit a Moyse, cui lex, quæ in prima mundi ætate scripta erat solummodo in cordibus hominum, tradita fuit in tabulis lapideis conscripta digito Dei: de cætero autem etiam tunc regebantur homines per divinam revelationem, licet minus splendidam, & nondum publico alicui monumento consignatam, ita ut incipiendo ab Adæ lapsu nullum unquam extiterit tempus, in quo nulla prorsus inter homines obtineret revelatio.

Ad alteram Confirmationem *dist. pariter* etiam nostris temporibus revelatio non pertingit ad omnes nationes ita tamen, ut ad omnes æquo jure pertineat, & ante sæculi consumationem ad omnes etiam perventura sit *conc.* secus *nego*. Ut intelligatur, quomodo revelatio, præsertim illa omnimoda, quæ in plenitudine temporum innotuit, & quam potissimum insectantur increduli, licet actu non perveniat ad omnes nationes, nihilominus homini, qui nunc nascitur, necessaria sit, imprimis notandum est, quod generatim loquendo multa sæpe necessaria sint omnibus, quin tamen ad omnes actu perveniant: sic tempore diluvij ad conservandam vitam, necessarium fuit navigium aliquod, cujus ope homines omnes illud revera enatare possent: & tamen navigium consecuti non sunt, neque diluvium actu enatarunt, nisi octo homines in Arca Noe; sic etiam ad transigendam in civitate commode vitam, præter alia, quæ communem civium salutem respiciunt, necessariæ sunt opes, & tamen non omnes ijsdem affluunt, & plurimi sæpe easdem proprio vitio deperdunt: deinde triplex hic distingui debet hominum genus; nempe unum illorum, quibus revelatio divina revera innotuit, quin tamen eandem propter duritiam cordis illorum, ut oportebat susceperint: sicuti sunt Judæi omnes, & Sinenses aliique idolatræ tam Orientis, quam Occidentis, ad

quos cura atque sollicitudo propagandæ fidei Christianæ ex parte summorum Pontificum non cessat unquam in destinandis ad eos apostolicis viris, qui illis Evangelium Christi, & cum Evangelio revelationem istam annuntiant, & manifestant: alterum est hæreticorum, qui abeuntes post desideria suarum passionum, hoc ipso, quia semel susceptam a Patribus eorum revelationem, non totam & integram retinent, totam & integram amiserunt, ut suo loco dicetur; & tandem tertium illorum, qui viventes in terris usque modo incognitis ita exleges, & fere sylvestres esse inveniuntur, ut nullam præseferant, sicuti veræ Religionis, ita etiam vitæ civilis educationem:

Nunc si de primo, & secundo genere hominum loquamur, evidens est, quod sua propria culpa divina revelatione careant, si autem loquamur de hominibus, & populis, qui terras nobis incognitas inhabitant, licet verissimum sit, quod isti corruptam naturam sectantes pravis eorum moribus revelationem Adamo primitus factam, & per Noemum postea orali traditione ad posteros propagatam sua culpa amiserint, atque ita seipsos indignos effecerint, ut uberioris, & omnimodæ revelationis lumine perfunderentur (10) attamen dubitari non potest, quod non

(10) Quæret autem hic forte aliquis, quid interim sentiendum sit de æterna istorum salute? num forte omnes peribunt? nempe per nos *non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat*. Isaiæ cap. 59. v. 1. sed est decisiva & aperta Christi sententia Joan. cap. 3. v. 5. *amen amen dico vobis* (ad Nicodemum directa) *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*. Sed regeret iterum, quo motivo, qua de causa tot homines æternum perituri sunt? respondemus: non utique propter infidelitatem negativam, seu propter ignorantiam revelationis, in qua invincibiliter detinentur, & quæ propterea illis ad culpam im-

perpetuo in ista cæcitate detinendi sunt, & quod ante consumationem sæculi ad divinæ hujus revelationis cognitionem certissime perventuri sint, ideo quia propheticus sermo psalm. 18. v. 4. ***In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum***, quem ab initio evangelicæ prædicationis impletum fuisse immediato ministerio discipulorum, Christi non omnino improbabile esse hic infra ostendemus, ante mundi finem sine dubio adimpleri debet ex Christi promissione Joan. cap. 10. v. 16. ubi inquit: ***Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.***

Ad alterum argumentum *dist.* mandata servanda continentur etiam in religione naturali per revelationem illustrata *conc.* omni revelatione destituta ***subdisting.*** quantum ad substantiam ***esto*** quantum ad modum, & practicam applicationem ***nego*** licet mandata legis, quorum observantia ad recte vivendum necessaria est, naturalem humanæ mentis aciem non excedant, ut speculative cognoscantur, atque ideo in sic dicta naturali religione, quam deistæ deprædicant, etiam contineantur; attamen mens nostra in statu, in quo nunc nascimur, corruptionis scilicet, atque peccati, non est ita comparata, ut sibi relicta, & omni revelationis lumine spoliata, eadem sine admixtione plurium errorum explicare, atque ad praxim reducere valeat; nam, ut perpetua omnium temporum experientia testatum facit, gentes omnes, non solum rudiores, sed etiam cultæ, imo ipsi quo-

putari non potest: sed quia adstricti peccato originis, & brutorum magis, quam hominum more viventes etiam in peccata actualia sua sponte prolabuntur: & quia justo Dei judicio ***multi sunt vocati pauci vero electi*** Math. cap. 20. v. 16.

que Philosophi insigniorese rvelatione destituti in pessimos semper prolapsi sunt errores, non solum circa Deum, ejusque primaria attributa, sed etiam circa ipsa juris naturæ præcepta; sic Cato, cujus severitatem in censura morum Politici omnes deprædicant, voluit permittendam esse fornicationem advitanda adulteria, ut testatur Cicero in Orat. pro Cœlio, & Plato, quem divinum Philosophum complures denominant, probavit ebrietatem in bachanalibus; item communionem fœminarum, & expositi onem liberorum: ut constat ex ejus lib. 4. de legibus: & generatim Philosophi veteres magis inclyti probaverunt venerem masculam: ut notat Seldenus lib. 5. de jure nat: & gent. cap. 11. igitur cum homines, ut in probatione dictum est. sint semper homines, idest sibi æquales; & ad errorem magis quam ad veritatem proni, maxime quando sermo est de veritate practica, quæ præter mentis aciem, qua verum percipitur, exigit etiam inclinationem voluntatis, qua id, quod vere bonum est, amatur, nunquam fieri potest, ut practice serventur omnia mandata legis sic dictæ naturalis religionis, nisi hæc superno lumine revelationis illustrata, & adjuta fuerit.

Dictum est *sic dictæ religionis naturalis*: nam quamvis verissimum sit, quod Deus in cordibus hominum intime veluti insculpserit dictamen illud, seu lumen rationis, quod ea omnia, quæ per se, & natura sua bona sunt, justa, & honesta, præcipit, & prohibet contraria; non videtur tamen, quomodo merito ex præceptis, quæ mediante hoc lumine naturaliter innotescunt, constitui possit, absoluta quædam, & proprie dicta religio, hoc sensu, quod duæ sint veræ religiones, quibus Deus rite colitur; etenim undecunque placeat repetere originem, & intimam hujus vocabuli *Religio* significa-

tionem: idest, sive a verbo *Relego* quatenus ea quæ Dei sunt, iterum legimus, & meditamur, ut quidam putant: sive a verbo *Reeligo*, quatenus illa, quæ Dei sunt, iterum eligimus, & amplectimur, quod potius esse S. P. Augustinus censuit lib. 10. de Civit. dei cap. 4. vel denique a verbo *Religo*, quatenus nos Deo iterum obstringimus, & obligamus: ut alijs videtur; profecto istud certum est, quod vera & proprie dicta Religio debeat esse necessario Complexio omnium illorum, quæ ad legitimum Dei cultum pertinent: porro autem legitimus Dei cultus complexe sumptus non potest esse multiplex, sed unus tantum, sicuti unus tantum est Deus: igitur etiam una tantum potest esse vera, & proprie dicta Religio: & quia in præsenti hominis statu ratio naturalis, atque ideo etiam religio naturalis, quæ ex illa derivatur, per se neque docuit unquam, neque practice docere potest omnem modum, quo Deus rite colendus est, consequitur necessario, quod una illa vera, & proprie dicta Religio alia non sit, nec esse possit, quam Religio revelata, & quæ neque in solis naturæ præceptis, neque in revelatione sola continetur, sed in utrisque simul, idest quæ tam præcepta naturæ, quam scita revelata complectitur: nec caret maxima probabilitate, imo vero exploratum & certum esse videtur, quod religio naturalis, quæ sine dubio primum procusa fuit in officina Pelagianorum docentium gratiam Dei secundum merita nostra dari, a Philosophis in orbem Christianum introducta fuerit, & tanto studio, tantoque conatu promulgata, atque adserta, ut Religionem revelatam facilius suffodere possent, atque radicitus extirpare (11).

(11) Videntur ex his jure quoque redargui posse Theo-

Opp. 2. Homo profecto non est deterioris conditionis, quam sunt animantia bruta: atqui bruta non egent alio medio, quam naturali instinctu ut finem suum assequantur, ergo a pari etiam homo opus non habet ad recte vivendum, nisi naturali ratione; præsertim quia Deus, sicuti brutis instinctum, ita homini indidit rationem, ut secundum illam viveret: igitur revelatio non est homini necessaria.

Respond. dist. Bruta animantia non egent alio medio, quam naturali instinctu, ut finem suum assequantur, eo quia iste etiam intra naturæ limitem totus concluditur *conc.* secus *nego*. Nihil plane concludit argumentum, quod ex brutis animantibus desumitur, nam si ista consequuntur suum finem sola duce natura, & per instinctum ipsis a natura inditum, hoc inde evenit, quia finis, ad quem tendunt, continetur totus & integer inter ipsos naturæ limites: e contra vero finis hominis est supra naturam positus; quod inde patet, quia impellente propria natura ten-

logi illi, qui pro triplici modo divinæ revelationis; sive pro triplici diverso illius statu, de quo supra locuti sumus, statuunt tres veras & diversas Religiones, seu Ecclesias, scilicet illam status naturæ, quæ effluxerit ab Adam ad Moysem; & alteram Judaicam, quæ incæperit a Moyse, & terminaverit in Christo, ac tandem Christianam, quam nomine suo Christus Dei filius instituerit: nam revera & quantum ad substantiam pertinet, tres istæ Religiones non constituunt, nisi unam in triplici statu consideratam, christianam scilicet, quæ quantum ad substantiam pertinet, est mundo ipsi coæva; sicuti expresse docet S. P. Augustinus in lib. 1. Retract. cap. 13. dicens *Res ista, quæ nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus venisset in carne, unde vera religio, quæ jam erat, cæpit appellari Christiana*: sed hæc magis clara fient, dum sermo erit de Ecclesia Christi.

dit in felicitatem summam, quæ in naturæ bonis minime reperitur: præterea est etiam maxima disparitas inter bruta, & homines: nam homo dotatus usu rationis, quo bonum eligere, & ad malum protendere potest ex proprio suo arbitrio, est etiam capax laudis, & vituperij, præmij & pœnæ; atque tendit semper in finem suum per liberam electionem mediorum: contra vero bruta feruntur in illum necessario, & cœco impetu; ac proinde mirum non est, si homines ad distinctionem brutorum præter naturæ vires, egeant lumine & adjutorio superiori, ut ad finem suum efficaciter perducantur.

Ad probationem *dist.* Deus indidit homini rationem, ut secundum illam viveret, si accipiatur complexe *conc.* si accipiatur incomplexe, idest, quatenus intelligitur lumen illud naturale, mediante quo præcise innotescunt ea tantum, quæ naturæ limitem non egrediuntur, quasi satis sit ad recte vivendum sequi dictamina rationis naturalis, sicut contendunt deistæ *nego*. Imprimis ratio naturalis plurima ignorat, quæ hominem ipsum proxime tangunt, eique scitu maxime necessaria sunt; ut patet ex probatione propositionis: deinde ratio considerata in homine, qui nunc nascitur, neque docet, neque docere potest practice omnia illa, quæ aliunde aciem mentis, quantum ad substantiam pertinet, absolute non superant; ex responsione superiori ad alterum argumentum; quamobrem licet verissimum sit, quod Deus homini rationem indiderit, ut secundum illam viveret, hoc tamen ita intelligendum est, non quod satis sit ad recte vivendum, ea tantum prosequi officia, quæ naturaliter innotescunt lumine illo, quod rationem nominamus; sed ita ut perficiantur rationis officia omnia, nimirum tam illa, quæ cum lumine illo concordant, quam etiam illa, quæ eidem

contraria non sunt, vel opposita; idest intelligi debet de ratione complexe sumpta, & quatenus per rationem, secundum quam ex Dei instituto vivendum est, intelligitur complexio omnium principiorum rationis; ac proinde quatenus in ea comprehenditur etiam principium istud præcipuum, nimirum Deo obtemperandum est, sive nos doceat per solum lumen rationis, sive etiam per lumen revelationis rationi naturali superadditum.

Opp. 3. Necessitas revelationis inde adseritur, ut homo ediscat officia sua erga Deum, & homines, atqui officia ista omnia facile, edisci possunt sine omni revelatione, & solo usu rationis; nam primo de illis præclare sæpe scripserunt plerique veterum Philosophorum antequam revelatio Christianorum orbi innotesceret, & secundo de ijsdem præclare quoque meriti sunt permulti ex Deistis, qui studiose omnem revelationem abjiciunt: ergo revelatio non est homini necessaria.

Respond. *nego min.* & ad primam probationem *dist.* Plerique veteres præclare sæpe scripserunt de officijs hominis antequam revelatio Christianorum orbi innotesceret, cum admixtione plurium errorum *conc.* sine tali admixtione & ex solo usu rationis ***nego***. Principio duo hic certissima sunt; nempe primum, quod Philosophi veteres, qui vixerunt antequam lux evangelij, seu Christianorum revelatio orbi innotesceret, inter ea, quæ recte de hominum officijs subinde vel cognoverunt, vel scripserunt, plures etiam miscuerint errores, ut patet ex Responsione superiori ad alterum argumentum; alterum vero, quod hic certissimum esse dicimus, est, quod non singuli omnia vel hominis officia, vel juris
turæ præcepta, ut par erat, simul attigerint, na-
sparsim tantum & singillatim, ita ut unus unum sed
ali-

quod, alter vero aliud recte tradiderit: ex quo fit, quod revera nullus eorum in praxi vel omnia hominis officia, vel totam legem naturæ ex solo rationis lumine cognitam, & perspectam habuerit: deinde nihil magis probabile est, quam quod Philosophi isti illa omnia, quæ de præceptis juris naturæ atque de officijs vel erga Deum, vel erga proximum, vel erga seipsum subinde recte cognoverunt, & scripserunt, maxima ex parte excerpserint, non ex solo eorum naturali ingenio, & usu propriæ rationis, sed ex revelatione, partim illa, quæ per oralem traditionem a posteris Noe propagata fuit, & quæ certissime etiam inter gentes aliquamdiu obtinuit, ut patet exemplo Ninivitarum, qui ad prædicationem Jonæ Prophetæ pœnitentiam egerunt, & exemplo Jobi, qui, tametsi esset Idumæus genere, Deum tamen verum rite coluit, & adoravit; & partim etiam ex illa, quæ hæbræis illuxit, ad quos magis inclitos sæpius divertisse, ut eorum sapientia instituerentur, testantur historici fere communiter: sic, ut unum saltem proferamus exemplum, Joannes Franciscus Buddeus in Exercitat. histor. philolog. de allegorijs Origenis §. 12. loquens de Platone; inquit; *sed & a Judæis eum multa accepisse, vel inde elucet, quod Josephus lib. 2. contra Appion. Justinus in Paranesi ad græcos. Clemens lib. 3. Pædagogi & alii Moysis eum involasse libros uno ore arguant, & conquærantur*: & S. P. Augustinus lib. 8. de Civit. Dei cap. 11. de eodem, inquit: *nonnulli putaverunt eum, quando perrexit in Aegiptum Jeremiam audivisse Prophetam, vel Scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse.*

Ad alteram probationem *dist.* Præclare subinde de officijs hominis meriti sunt etiam deistæ per divinam revelationem edocti *conc.* secus *nego*. Nempe

postquam per revelationem in sacra Scriptura contentam circa hominis officia & juris naturæ præcepta perfecte edocti fuimus, facillimum est demonstrare, quod eadem rationi per omnia consentanea sint, quin tamen inde sequatur, quod omnia simul ex puro rationis lumine unquam ab aliquo recte deducta fuerint: & universim loquendo *Religio naturalis* ut optime affirmat Werenfelsius apud Turretinum propositione 32. de Necessit. Revelat. *Qualis in mundo reperitur, alia non est, quam religio gentilium: religio autem deistarum, qui scilicet in informandis morum præceptis ad solum usum rationis provocant, est religio eorum, qui postquam ex sacris literis omnia deprompserunt, quæ placent dicunt se eadem ratiocinando invenisse.*

Propositio III. Volumen illud, quod sacram Scripturam nominamus, continet vere Verbum Dei, seu revelationem extraordinarie divinitus ad homines factam.

Probatur Illud volumen continet verbum Dei, quod divinitus inspiratum fuisse manifeste ostendi potest; atqui ita plane res se habet de volumine, quod sacram Scripturam nominamus: nam *primo* continet veritates adeo sublimes, quas humana ratio detegere nunquam plene potuisset, & mysteria altissima supra omnem hominis captum posita: ergo fuit divinitus inspiratum: antecedens patet: nam ut omittamus, quod nonnisi ex volumine illo edocti fuimus sicut de rerum omnium, ita etiam de hominis vera origine, & creatione, de illius lapsu, & vera causa malorum, quæ patitur, atque de innumeris fere alijs arcanis veritatibus, quæ homines, Angelos, & cæteras res creatas respiciunt: sane ex libris evangeliorum, quos præcipue impetunt increduli, didicimus tandem perspicue Trinitatis & Incarnationis my-

sterium, & præterea etiam quid sit Deus, & quid proprie sentiendum sit de illius immensitate, de justitia, de sanctitate, de bonitate, & misericordia, atque de alijs ejus attributis & perfectionibus omnibus: *secundo* volumen illud continet quoque documenta Sanctissima, quæ rectæ rationis regulis in omnibus conformia esse deprehenduntur: nam præterquam quod expresse doceat Deo soli supremum cultum exhibendum esse, eumque solum super omnia, & in omnibus amandum, de quo præcepto, quamvis in substantia naturale sit, & cordibus hominum inditum, neque Plato, neque Aristotiles, neque Solon, neque Seleucus, neque Seneca, neque Cicero, neque alius quisquam ex veteribus Philosophis, & summis legislatoribus mentionem expressam ullibi fecit: ut Artic. 4. de demonstr. Revelat. §. 3. affirmat Nonnotte in suo dictionario: præterea docet etiam universim omnes virtutes, & omnia perfectionis opera, ita ut nullus unquam vel absonum aliquid, vel minus conveniens, & non plane exactum in ordine ad morum regulas, & perfectam vitæ conversationem in eo detegere potuerit: cum autem humanum non sit, sed divinum adeo sublimia sapere, & in nullo prorsus errare; fit conseguens necessarium volumen istud fuisse revera divinitus inspiratum. *Tertio* doctrinam in illo volumine contentam, non esse humanam, sed divinam, ostendit ulterius mirabilis illius per totum orbem propagatio: nam ista suscepta fuit per homines duodecim *ineruditos liberalibus disciplinis*, *& omnino* (sunt verba S. P. Augustini lib. 22. de Civit. Dei cap. 5.) *quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica non Rhethorica inflatos*, Piscatores scilicet, omni humano præsidio destitutos, qui tamen inter maximas angustias & persecutiones, munus su-

um compleverunt eo successu, ut doctrinam evangelicam & fidem in Christum intra brevissimum temporis spatium, sola & simplici verbi prædicatione, & promissione bonorum invisibilium, quæ nonnisi post hanc vitam consequenda erant, ad omnem terram propagaverint (12), itaut jam temporibus Apostolorum fides in Christum fructificare cæperit in universo orbe ex Apostolo ad Rom. cap. 1. v. 8., & non multo post ad omnes civitates romani Impe-

(12) Ex his absque ullo negotio comprehendi poterit, quomodo dissolvi debeant, & ad nihilum redigi, quæ increduli opponunt de pariter universali & repentina diffusione Mahometanismi, Lutheranismi, Calvinismi, & si placet etiam libertinismi, qui nostris temporibus vigintiquinque circiter annorum spatio occasione gallicæ revolutionis, & secutæ exinde hostilis invasionis omnium fere Europæ Provinciarum latissime pervagavit, innumerosque sibi acquisivit Proselytos: nam Mahometanismus propagatus fuit vi & armis, ut omnes norunt: Lutheranismus vero & Calvinismus spe rerum temporalium, & præsertim doctrina hominum cupiditatibus & inclinationibus per omnia conformi: siquidem Clericis permittebantur uxores; religiosi utriusque sexus absolvebantur a votis solemniter emissis, omnes autem Christiani ab observantia jejuniorum, & reliquorum præceptorum Ecclesiæ; & quod iisdem apud sæculi Principes majorem promeruit gratiam, atque ita erroneæ doctrinæ diffusionem accrevit, consistit maxime in eo, quia sectæ istæ iisdem, sicut bona temporalia Ecclesiæ, ita etiam Ecclesiasticam jurisdictionem adjudicare toto conatu ausæ sunt: quæ omnia etiam majori quam istæ licentia palam docuit, & opere complere toto pectore adnisus est libertinismus: econtra autem Piscatores nostri non sunt unquam locuti placentia, sed ardua omnia & molesta; scilicet abnegationem sui, carnis propriæ crucifixionem, spretum divitiarum, amorem paupertatis, & alia hujus generis cupiditatibus hominum plane contraria; nec promiserunt hujus vitæ commoda vel honores, vel aliam temporalem felicitatem, sed tantum bona quæ sensibus percipi non poterant, scilicet resurrectionem a mortuis, & bo-

rij, imo etiam ad vicos, & agros pervagata sit; ut testatur Plinius Ethnicus scriptor in Epist. 97. ad Trajanum dicens: *non civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros Christianæ religionis contagio pervagata est: prope jam desolata templa, & solemnia diu intermissa.* Profecto autem nemo tam arduam, & tam repentinam, tamque universalem mutationem per media naturaliter adeo inefficacia operari potuit, nisi solus Deus omnipotens, qui omnium

na mere spiritualia, eaque non consequenda, nisi post hujus vitæ finem: & quod mirabilius est, prædicabant fidem eorum, quæ humanæ rationi plane incredibilia apparere debebant, sicuti est inter alia fides in Christum crucifixum, Judæis scandalum, gentilibus autem stultitia; illum affirmabant rerurrexisse a mortuis, quod omni humanæ rationi imperceptibile videri debebat, tanquam aliquid in quo sua sponte tria maxime incredibilia elucent, sicut ostendit S. P. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 5. dicens *incredibile est Christum resurexisse in carne, incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse, incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse: horum trium incredibilium primum nolunt isti* (sapientes hujus mundi) *cum quibus agimus, credere; quod non inveniunt, unde sit factum, si non credunt tertium:* profecto autem mirum plane non est, quod homines in magna copia magistros sequantur, & doctores audiant, qui passionibus eorum blandiuntur; valde autem mirum est, quod eorum præceptis obediant, qui cupiditates illorum ex omni parte refrænant: igitur mirum quoque non est, quod Mahometanismus, lutheranismus, Calvinismus, & libertinismus celerrime propagati sint, & plures nacti sint sectatores; sed mirum valde est, quod mundus totus intra brevissimum tempus Piscatoribus duodecim credidit; ita ut merito cum S. P. Augustino in loco supra citato affirmari possit *si hoc miraculum non est, hoc nobis grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.*

corda, sicuti vult inflectit: ac proinde doctrina in sacra Scriptura contenta, quam Deus tam mirabili & extraordinario modo propagari voluit, non potest esse nisi divina, & ab auctoribus divinitus inspiratis conscripta. *Quarto* idem testatum facit, & confirmat universi fere orbis nunquam interrupta traditio; nempe tam Judæi relate ad vetus testamentum, quam Christiani per mundum totum dispersi relate ad integram scripturam, crediderunt semper auctores sacræ Scripturæ divinitus inspiratos fuisse; at vero incredibile plane est, & moraliter impossibile eos omnes in hac fide aut deceptos fuisse, aut decipi potuisse, siquidem incredibile est, & moraliter impossibile nos decipi in illis, quæ tanquam vera recipimus, quia majores nostri eadem constanti, & unanimi traditione tamquam vera ad nos transmiserunt: generatim enim, ut optime observat S. P. Augustinus lib. 33. contra Faustum cap. 6. *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque ejusmodi auctorum unde noverunt homines, quod ipsorum sint? nisi eadem temporum sibi succedentium contestatione continua*: ac proinde idem S. Doctor in lib. 6. Confess. cap. 5. Deum ipsum fiducialiter ita alloquitur: *Persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpandos*, profecto non ob aliam rationem nisi quia persuasum habebat, quod non nisi Deo sic disponente & volente Scriptura sacra ad eam dignitatem pervenerit, ut ab omnibus divinitus inspirata crederetur, ut manifeste colligitur ex illis, quæ loco citato subjungit dicens: *Jam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes jam terras auctoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses*. *Quinto* Nihil fere in

rebus humanis magis exploratum est, & majori testium numero confirmatum, quam istud, quod pro fide in Christum, & ejus doctrina in Scriptura sacra præsertim contenta innumeri propemodum occubuerint, & sanguinem cum vita profuderint Martyres, ut in actis sinceris illorum adversus Dallæum Calvinistam invicte ostendit Ruinartius, non solum de plebe homines, sed etiam viri nobilitate generis, & doctrina conspicui, non solum mares sed etiam fœminæ, & quidem ex omni ætate; quis autem sibi persuadere unquam poterit tot homines vitam cum sanguine profundere voluisse pro doctrina aliqua tanquam divinitus tradita, quæ revera divinam non habeat originem? neque enim ullatenus concipi potest, quomodo Deus permittere potuisset, ut tot hominum millia ex omni sexu fallerentur, & inutiliter pro ipsius honore, & in defensionem verbi sui tantos cruciatus, & mortem ipsam sine omni animi perturbatione, & alacriter quoque tollerarent (13).

(13) Equidem dari potest casus, quod quandoque inter hæreticos, inter Mahomethanos, & Paganos inveniantur, qui pro sectæ suæ defensione sponte moriuntur: sane narrant historici, quod Atheus quidam nomine Lucilius Vanini Neapolitanus Taurisani in Apulia natus anno 1619. & homo projectæ vitæ, captus decreto Senatus Tolosani in Gallia, & morti adjudicatus, ne videretur ignominiosam edere suæ impietatis retractationem, mortem ipsam intrepide suscepit, & qui, cum non cessaret palam deum negare supplicium jam jam subiturus, præcisa lingua vivus combustus fuit: possunt inquam dari casus isti, habent enim, ut est in proverbio, omnes sectæ, imo habet etiam diabolus martyres suos: verum rari semper sunt casus isti; & quotiescunque contingunt, id est quotiescunque evenit, ut aliquis, vel aliqui in gratiam erroneæ doctrinæ imperturbate moriantur, istud semper fit vel quia fanatismo vanam quærunt in impietate sui nominis gloriam, ut fecit Vaninius, vel quia superstitiosa

Sexto tandem de doctrina, quæ per Prophetias proprie dictas hominibus annuntiata est, & tamquam a Deo profecta veris miraculis confirmata, dubitari nullo modo potest, quin Deum ipsum immediatum auctorem habere debeat: atqui talis est doctrina, quæ in Scriptura sacra continetur; ergo de ea dubitari non potest, quin Deum ipsum immediatum auctorem habeat; idest quin vere divinitus inspirata fuerit: major patet, nam prophetia proprie dicta, est prædictio certa futuri eventus liberi, & contingentis, qui in natura causam determinatam non habet: & verum miraculum, ex magis probata sententia, est eventus præter omnem ordinem naturæ, qui vel in substantia vel in modo quo producitur, superat, & excedit omnem vim cujuslibet creatæ naturæ (14), igitur tam prophetia stricte sumpta,

amicitiæ temporalis, aut politicorum legum observantia & auctoritate sese morti adstrictos jam esse sentiunt, sicuti contingere potest apud Indos & barbaras alias nationes, apud quas uxores cum Maritis, famuli cum suis domesticis, & conjuncti cum suis consanguineis, vel vivi cremantur, vel vivi sepulturæ traduntur: nunquam autem animo penitus libero & tranquillo, & propter solam spem bonorum futurorum & invisibilium, sicut fit, & factum est semper ab innumeris Christianis pro doctrina Evangelica.

(14) Loquimur hic de miraculis proprie dictis, & quatenus distinguuntur primo quidem a miris effectibus, quorum causæ nos latent; & secundo etiam a gratijs, ut ajunt, quæ scilicet impetrantur intercessione Sanctorum in ordine ad recuperandam sanitatem, & ad alios effectus salutares, postquam vel ad illam recuperandam, vel ad istos consequendos opportuna media adhibita fuerunt: porro autem verum miraculum triplici modo fieri potest ex Angelico Doctore 1. part. quæst. 105. art. 8. ubi ait *miraculum tripliciter fieri potest, uno modo quantum ad substantiam facti; sicuti quod duo corpora sint simul; vel quod sol retrocedat;*

quam verum miraculum, tametsi fieri possint mediante hominum tam proborum quam impiorum, imo etiam ex consensu omnium theologorum mediante Angelorum bonorum ministerio tanquam per causas instrumentales, efficienter tamen non possunt fieri, nisi a solo Deo, qui sicuti est auctor naturæ, & solus cognitum habet ordinem omnium causarum, ita etiam solus potest certo prævidere, & prænuntiare futuros eventus omnes tam necessarios, quam liberos, & contingentes, atque vel interrumpere vel immutare, vel suspendere ordinem naturæ liberrime a se semel statutum; ex quibus fit, quod omnis doctrina per prophetias hominibus annuntiata, & miraculis confirmata hoc ipso innixa sit immediato Dei ipsius testimonio, & quod Deus ipse loquatur, & operetur, quotiescumque aut futura libera, & contingentia certo prænuntiantur, aut miracula vera perpetrantur: quod autem doctrina, quæ sacra Scriptura continetur, per prophetias proprie dictas annuntiata sit, & veris etiam miraculis confirmata, adeo evidens est, & manifestum, ut non demonstratione aliqua, sed sola lectione indigere videatur: ergo dubitari nullatenus potest, quin doctrina in

aut quod corpus humanum glorificetur; quod nullo modo natura facere potest: & ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id, quod fit; sed quantum ad id, in quo fit; sicut resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum, & similia; potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; & potest præstare visum, sed non in cæco: & hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ quantum ad modum & ordinem faciendi; sicut cum aliquis subito per virtutem Divinam a febre curatur, absque curatione & consueto processu naturæ in talibus: & hujusmodi tenent infimum locum in miraculis.

Scriptura sacra contenta divinitus inspirata sit, & Deum ipsum immediatum auctorem habeat; ac proinde volumen illud, quod sacram Scripturam nominamus, continet vere verbum Dei, seu divinam revelationem extraordinarie ad homines factam (15).

Solvuntur opposita Argumenta.

Opp. I. In scriptura inveniuntur multa Deo indigna, sicuti sunt inter alia Davidis adulterium, & inde secutum homicidium; libido Salomonis, qui dicitur habuisre 700. uxores, & 300. concubinas; incestus Judæ cum Thamar nuru sua; item Polygamia Patriarcharum; mendacia Abrahami, Isaaci, & Jacobi; & alia hujus generis: deinde inveniuntur etiam multa fabulosa; uti sunt colloquium Evæ cum serpente; hujus pœna, ut super pectus suum gradiri debeat, quod serpentibus naturale est, nec in pœnam verti potest: item Gigantes prodigiosæ magnitudinis, & diluvium universale; ergo nequit habere Deum auctorem; ac proinde etiam non potest continere verbum Dei.

Respond. ad primum *dist.* In Scriptura inveniun-

(15) Sex ista argumenta, seu ut rectius loquamur septem, nam duo postrema, de prophetijs scilicet & miraculis, quæ ab alijs separatim pertractari solent, nos brevitatis causa coegimus in unum, & quibus hic usi sumus ad probandum, quod in Scriptura sacra vere contineatur verbum Dei, seu divina revelatio extraordinarie hominibus facta, adhibentur universim a theologis omnibus ad ostendendam in communi veritatem christianæ religionis; & vocantur in scholis *motiva credibilitatis* propterea, quia si probe, & sine animi præoccupatione serio expendantur, sunt ejusmodi, quæ religionem nostram, seu fidei nostræ mysteria universim evidenter credibilia reddunt.

tur multa Deo indigna, ut ab ipso efficiantur *conc.* ut ab ipso permittantur: *nego*. Principio Deus creavit hominem liberum, & cum hac lege, ut si bene ageret, recepturus esset, sin autem male, *statim in foribus adesset peccatum*, ita tamen, ut sub ipso esset appetitus ejus, & ipse dominaretur illius; genes. cap. 4. v. 7. ac proinde æquissimum erat, ut permitteret fieri, & adulteria, & alia crimina, quæ in sacra Scriptura subinde recensentur: deinde universim loquendo omnes illæ impietates, quæ in Scriptura narrantur, sicuti sunt Davidis adulterium cum Bethsabea uxore Uriæ Hethæi, & hujus ad illud celandum exinde secutum homicidium; de quibus fit sermo in 2. Reg. cap. 11. atque libido Salomonis ejusque incontinentia de qua in 3. Reg. cap. 11. legitur, *fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ: & averterunt mulieres cor ejus*: nec non incestus Judæ cum Thamar nuru sua, de quo genes. cap. 38. & si quæ sunt alia hujus generis, nullibi laudantur in sacra Scriptura, sed reprehenduntur potius manifeste pluribus in locis, neque narrantur, nisi simpliciter tantum, & hoc sensu, quatenus etiam ista pertinent ad integritatem historiæ: ac propterea non aliam habent relationem ad Deum, nisi istam, quod ab ipso permissum fuerit, ut fierent, in qua re nihil profecto elucet, quod jure merito Deo indignum esse censeri valeat.

Deinde de Polygamia docent fere communiter Theologi eandem utique natura prohibitam esse (16), non

(16) Ita divus Thomas 3. part. quæst. 90. art. 3. ad 4. ubi Inquit *habere duas uxores est contra legem naturæ*: hoc tamen intelligi debet non primario sed secundario, ut explicant Theologi & colligitur ex eodem S. Doctore in additionibus ad 3. part. quæst. 63. art. 2. in corp. ubi affirmatur

tamen absolute, sed conditionate tantum; idest multiplicato jam humano genere: & ex S. P. Augustino lib. 20. contra Faustum cap. 47. Quando exercetur *non gignendi sed lasciviendi causa*: & in lege Moysis fuit etiam expresse promissa: nam in Deuteronomio cap. 21. v. 15. jubetur *si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam ... & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ* ac proinde in Polygamia veterum Patriarcarum nihil plane elucet, quod Deo indignum esse videatur, & jure omnino S. P. Augustinus loco modo citato loquens de Sancto Patriarcha Jacob, postquam affirmasset peccata alia esse *contra naturam, alia contra præcepta, & alia contra mores,*

hoc verum esse non quantum ad prima præcepta naturæ sed quantum ad secunda: de cætero autem Polygamiam jure divino positivo semper prohibitam fuisse, nec in veteri lege sine divina dispensatione licitam factam esse, ac proinde super illam ab Ecclesia nunc dispensari nullatenus posse, communis plane est theologorum sententia, nec immerito: nam primo Deus ipse in prima creatione uni viro unam tantum conjuxit mulierem, non duas, vel tres, & voluit ut essent *duo in carne una* genes. cap. 2. v. 24. deinde etiam Christus Dominus percunctantibus Pharisæis Math. cap. 19. v. 4. *si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa?* volens matrimonij vinculum ad primæva jura revocare, respondit dicens *non legistis quia qui fecit hominem ab initio masculum, & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una* ubi non solum commendat indissolubilitatem, sed etiam ejus formam, ita ut inde sua sponte sequatur, quod matrimonium divinitus ita institutum sit, ut semel contrastum indissolubile subsistat, atque ut unus vir unam tantum uxorem, & una mulier unum tantum virum habere de-

excusat eundem ab omni peccato dicens: *Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? si naturam consulas? non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur: si morem? illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur: si præceptum nulla lege prohibebatur: nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat? quia & moribus, & legibus hoc non licet*: Porro autem quod hic dicitur de Jacob, intelligi debet pariter de Abraham, qui duas, & de Sancto Davide, qui duodeviginti uxores habuit ex Lirano in lib. 2. Reg. cap. 5. nam etiam isti eas duxerunt *non lasciviendi sed gignendi causa*.

Neque mendacia, quæ sibi fingunt increduli prolata fuisse ab Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, veram ingerunt difficultatem adversus divinam sacræ Scripturæ originem: nam quantum spectat ad Abraham, qui Saram, & Jsaac qui Rebeccam suam dixit esse sororem, cum revera essent illorum uxores, non videtur omnino, qua ratione mentiti fuisse dici debeant;

beat: ac propterea quod polygamia prohibita sit jure divino: dum autem eandem licitam fuisse atque expresse permissam in lege Moysis hic supra affirmamus, loquimur de Polygamia quatenus est unio unius viri ad plures mulieres, non autem de illa, quæ est unio unius mulieris ad plures viros, & quæ in scholis *Polyandria* & *Polyviria* appellatur: nam hæc est manifeste contra naturam, & quæ propterea in nullo prorsus hominum statu licita fieri potest, eo quia propagationi humanæ naturæ, cujus causa Deus creavit masculum & fœminam, per se, & absolute contraria est; sicuti patet in meretricibus, quæ ex congressu cum pluribus viris infæcundæ redduntur: Præterea loquimur hic de Polygamia & de Polyviria simultanea, non autem de successiva: nam licet tam illa quam ista irregularitatem inducat in maribus

siquidem cum dixerunt esse sorores, non negarunt, sed tacuerunt tantum quod essent uxores: igitur ex hac parte non sunt mentiti: sed neque mentiti sunt in eo, quod affirmaverint esse sorores: nam in hoc uterque secutus est suæ gentis consuetudinem quæ tunc obtinebat, & secundum quam perfiguram catachresis, sive per abusum nominis vocabantur fratres, & sorores omnes illi, qui proxima carnis cognatione conjuncti erant; sicuti fuit Sara respective ad Abrahamum, de qua genes. cap. 20. v. 12. inquit Abraham ipse *alias autem vere soror mea est*, *& filia Patris mei*, *non filia matris meæ*, & Rebecca respective ad Isaac erat consobrina ejus; idest *filia Bathuel*, *filij Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham*, ex Genes. cap. 24. v. 15.

Quod autem spectat ad Jacob, qui suggestione matris pellibus hædinis se contexit, ut putaretur Esau natu major, & ita benedictionem paternam, & primatum fratris surripuit, sunt quidem permulti, qui illum a mendacio penitus excusari non posse credunt, & affirmant; nihilominus si in facto isto attendatur non præcise ad id, quod occasione ista dictum, & factum est, sed ad illud potius, ad quod

ex Innocentio III. Cap. *Nuper* 4. de *Bygamis non ordinandis*; & illa quidem directam, ista autem interpretativam, de utraque tamen successive spectata contra Montanistas, qui secundas nuptias damnabant, tenendum est esse de fide, quod non solum in lege naturæ & in lege Moysis, sed etiam in Evangelica licita sit, ut patet ex 1. ad Corinth. cap. 7. v. 39. ubi Apostolus inquit *mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*, *quod si dormierit*, *vir ejus*, *liberata est*, *cui vult nubat*; *tantum in Domino*: neque ulla est, vel esse potest potior ratio, cur mulier mortuo viro, & non etiam vir mortua uxore transire valeat in Domino ad alias nuptias.

significandum omnia illa dicta, & facta fuerunt, non erit incongruum affirmare, quod etiam Jacob tam in dictis quam in factis vere, & formaliter non sit mentitus: & revera nam primo, verum, & formale mendacium est *falsa significatio cum voluntate fallendi* sive ut ait S. P. Augustinus in libro contra mendacium cap. 10. num. 24. *mendacia putantur quoniam non ea, quæ vere significantur dicta intelliguntur, sed ea, quæ falsa sunt, dicta esse creduntur*: jam vero Jacob cum se pellibus hædinis contexit, tam facto, quam verbis ostendit, non quæ falsa erant, sed quæ vere significabantur, nam ut loco citato observat S. P. Augustinus: *Per hædinas pelles peccata, per eum autem, qui eis se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portavit*, idest Christus Dominus: igitur in eo nullum elucet formale mendacium; deinde cum Pater ad eum dixisset: *Quis es tu fili mi?* et Jacob respondisset: *Ego sum Esau primogenitus tuus*, istud pariter *si referatur ad duos geminos mendacium videbitur* ut fatetur ibidem citatus doctor; si autem referatur ad illud quod vere significatum est, & propter quod ista gesta, & dicta conscripta fuerunt, intelligendus est iterum Christus, ut ostendit S. Pater loco citato, non tamen in se, sed in suo corpore; idest tunc in Jacob intelligi debet signifiata Ecclesia Christi, quatenus congregata ex gentibus benedictionem in Abraham, & Isaac promissam in se transtulit; nam ita intelligitur, quomodo minor frater, id est Ecclesia gentium in Jacob significata, primatum majoris, qui Synagogam significabat, & quæ prior erat, quam Ecclesia gentium, assecuta est, & obtinuit: igitur cum verum, & formale mendacium, dici non possit, ubi verax est tam facti, quam dicti significatio, sequitur quod etiam

Jacob neque in facto, neque in verbis vere, & formaliter mentitus est, quia fecit, & dixit, quæ tam in facto, quam in verbis vere significabantur.

Ad alterum argumentum *nego ans* ad primam probationem *dist.* colloquium Evæ cum serpente videtur fabulosum si solius serpentis materialis ratio habeatur *conc.* si simul habeatur ratio dæmonis, qui per serpentem materialem cum Eva locutus est *nego*. In colloquio Evæ cum serpente nulla plane est fabula, sed omnia vera: nam proprie serpens, qui Evam decepit; & de quo fit sermo Genes. cap. 3. non fuit solus, & merus serpens materialis, sed diabolus, qui vero, & materiali serpente usus tanquam instrumento, Evam in errorem induxit, ut affirmant Patres, & interpretes omnes, & non obscure colligi potest ex præcipua pœna quæ ibidem versiculo 15. serpenti inflicta legitur: nimirum *inimicitias ponam*, ita loquitur Deus ad serpentem, *inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum: & tu insidiaberis calcaneo ejus*: profecto enim ista pertinere non possunt ad purum serpentem, sed ad diabolum, cujus caput per mulierem, idest per Beatam Virginem Mariam, (Vide supra Nota 8.) sive ut alij inquiunt, per semen illius, idest per Christum conterendum erat: ex quibus etiam istud intelligitur, quod verba, quæ ibidem habentur versiculo 1. nempe *Erat autem serpens callidior cunctis animantibus*, non ita accipi debeant, quasi serpens calliditate cuncta animantia, etiam vulpes, canes, equos &c. exuperet, quod falsum esse naturalium rerum scriptores affirmant, sed ita ut explicat S. P. Augustinus lib. 2. de Genes. ad litter. cap. 29. nimirum ut dicta intelligantur: *propter astutiam diaboli, qui in illo, & de illo agebat dolum*: *quemadmodum dicitur pru-*

dens vel astuta lingua, quam prudens, vel astutus movet ad aliquid prudenter astuteque suadendum.

Neque dicatur hanc ipsam explicationem redolere fabulam: nam revera nihil facilius est, quam quod diabolus assumpto corpore quovis organico articulate loquatur, aut certe nulla in hoc negotio elucet repugnantia: siquidem, nemo ignorat quod tam corpora sublunaria, quam illorum effectus, inter quos utique censeri debet articulata locutio, quantum ad motum spectat, permittente Deo, potestatem dæmonum nullatenus fugiant.

Si autem quis quæreret, quomodo Eva, cum omni scientia tam naturali, quam supernaturali, saltem quantum spectabat ad vitam suam recte, & imperturbate agendam, instructa, & ornata existeret; & nihil ominus decepta sit? aut quomodo saltem non est suspicata fraudem, audiens loqui serpentem, quem mutum esse scire debebat? ut hic mittamus fabulam Rabinorum, qui docent, quod diabolus super dorsum prægrandis serpentis equitans sub specie pulcherrimi juvenis insolito isto apparatu Evam prius in curiositatem, & postea in errorem perduxerit, respondemus deceptam fuisse, quia amore sui ipsius jam intus superbia intumuerat; ut exponit S. P. Augustinus lib. 11. de Genes. ad litter. cap. 30. dicens: *non crederet verbis serpentis bona atque utili re se esse prohibitos, nisi inesset ejus menti amor propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio*: quod autem mirata non est, neque fraudem suspexit audiens loqui serpentem, hoc ideo forte evenit, quia non satis attendit, ad illa, quæ maxime noverat: vel etiam quia serpentem non timuit, sciens illum esse in sua potestate, nihil interim cogitans de diabolo, quem fortassis etiam plane ignorabat.

Deinde ut intelligatur, quo sensu serpens, qui Evam decepit Genes. cap. 3. etiam simpliciter, & materialiter spectatus damnatus fuit a Deo, ut super pectus suum imposterum gradiri deberet; tametsi sint, qui cum S. Basilio, & Josepho Flavio credunt, quod serpens ante peccatum Adæ erectus incesserit, & pedibus instructus, fatemur in illo naturale esse gradiri super pectus suum, & reptare per terram, hoc tamen non obstante poterat illi naturalis ista proprietas post peccatum converti in pœnam, quamvis non proprie, sed improprie dictam, nimirum in pœnam commemorativam, ut scilicet homines ex Adam geniti, videntes illum reptare per terram super pectus suum, memores essent magnæ illius calamitatis, in quam ejus ministerio, & diaboli fraude conjecti fuerunt; eo ferme pacto sicut Iris, quæ naturale phenomenum est, constituta fuit post diluvium in signum pacti inter Deum, & homines initi, non quia Iris tunc primum apparere inciperet, siquidem etiam ante diluvium locum habere debebat in suppositione, quod etiam ante diluvium plueret, aut quia in ea aliquid essentialium ejus, vel additum, vel subtractum fuerit, sed ut homines pacti illius recordarentur.

Neque fabulosi haberi, & suspicari possunt Gigantes in Scriptura commemorati, nempe Goliath a Davide interemptus; Og, & Magog aliique: nam primo nihil plane repugnat, quin aliquando ex illis extiterint integræ generationes: cum enim experientia teste etiam temporibus nostris videamus causas generationis inter homines sæpe ita dispositas esse, ut gignantur homines vix bipedalis altitudinis, quos Pumiliones, seu Pigmæos nominamus, quid prohibet, quin e contrario aliquando ita dispositæ fuerint, & nunc etiam esse possint, ut ex illis prodiverint,

prodeant homines insolitæ proceritatis: deinde missis fabulis Poetarum apud quos Othus, & Ephialtes fratres dicuntur nono ætatis anno præditi fuisse corpore novem cubitorum in circumferentia, & triginta sex in altitudine; & Polyphemus Cyclops asseritur obvoluisse brachijs suis saxum, quod viginti quadrigæ vix loco movere valuissent; missis inquam his, & similibus fabulis, sane tam veteres, quam recenitores scriptores rerum naturalium referunt, multa, eaque indubia monumenta, e quibus liquido constat, quod Gigantes olim revera extiterint, ut videre est apud Athanasium Kircherum in suo mundo subterraneo: & S. P. Augustinus, cui nemo fidem negaverit, testatur in lib. 15. de Civit. dei cap. 9. se vidisse binos dentes molares hominis adeo crassos, qui centum dentes communes facile æquarent.

Idem sentiendum est de diluvio universali, quod incœpit *anno sexcentesimo Vitæ Noe*, *mense secundo*, *septimodecimo die mensis*: ut legitur Genes. cap. 7. v. 11. idest juxta communem computum anno 1656., & quidem die 17. Novembris ex opinione illorum, qui computum istum subducunt ad annum civilem, qui incipit apud hebræos mense Tisri sive ad æquinoctium autumnale, quæ opinio, & probabilior est, & magis communis: vel etiam, ut alijs placet die 17. Aprilis, idest secundum computum illorum, qui eundem subducunt ad annum sacrum, qui incipit ad æquinoctium vernum mense Nisan, qui Martio nostro respondet: nimirum etiam de diluvio universali adeo verum est nullam in eo jure ac merito suspicari posse fabulam, quin potius econtra perpetuis observationibus ejus existentia probari posse videatur: nam ut interim omittamus quod præter alios etiam Lucianus celebris Sophista, atque Ovidius Poeta, ille quidem in lucubratione de

Dea Syra, hic autem in lib. 2. Metamorph. de diluvio mentionem faciant, quod ex istorum opinione tempore Deucaleonis græciam totam inundaverit; istud certissimum est, quod traditionem diluvij etiam nostris temporibus constantissime conservant omnes populi, inter quos etiam Americani, & Sinenses (17), licet singuli more suo, fabulis incrustatam; & nemo plane est, qui in historia temporum, vel mediocriter versatus ignorat, quod a fossoribus terræ non solum in vallibus, sed etiam in jugis altiorum montium, dum puteos effodiunt, sæpius contingat inveniri tum maris reliquias, conchas

(17) De Americanis luculentissimum hujus rei testimonium reddit Marcus Lescarbotus in histor. novæ Franciæ lib. 1. cap. 3. apud Joannem de Laet in notis ad dissert. Hugonis Grotij *de Origine Americanorum* Amstelod. 1643. pag. 115. ubi ait *Opinio de diluvio non tantum reperitur in nova Francia, in qua nos viximus, sed etiam inter Peruviæ incolas, qui ut narrat Josephus a Costa, loquuntur de diluvio, quod acciderit in suis regionibus, quod omnes homines deleverit, & e grandi lacu TITICACA prodijsse VIRACOCHAM, qui est maximus inter illos Deus, quemque adorant cælum suspicientes, ut creatorem omnium rerum, & VIRACOCHA iste substitit TIAGUENACI, ubi adhuc hodie visuntur ruinæ & reliquiæ antiquorum & admirandorum ædificiorum; inde adijt Cuscum. Adhunc modum genus humanum denuo cæpit multiplicari*. De Sinensibus autem præter alios scriptores fide dignos testimonium reddit Joannes Burmeisterus in monumentis diluvij universalis ex profana historia, in quibus §. 9. pag. 37. edit. Londini Gothorum prodit, quæ sequuntur, nimirum inquit *diluvium sibi notum confitentur, regemque cujus tempore China inundata fuit YAUM appellant, quem pium & sanctissimum fuisse passim scriptores Chinenses tradunt*: quibus notatis idem auctor non immerito subjungit dicens *Elogium sane ab isto, qnod In sacris literis Noacho, & apud profanos deucalioni, & cæteris tribuitur haud alienum*.

nimirum, pisces &c. tum etiam terrestrium plantarum, & arborum ramos, ac folia, quæ in dissitis valde regionibus germinare solent, quæque omnia longitudine temporis in lapides concrevisse observantur: at vero quod hæc, & similia vel ex industria humana, vel ventorum vehiculo illuc asportata fuerint, & in visceribus terræ recondita, non solum videtur absurdum, sed plane repugnans: igitur necesse est, ut fateamur, quod hujusmodi depositiones eo quondam advectæ, & inibi collocatæ fuerint universali quadam aquarum inundatione, seu diluvio universali, quod scilicet non tantum loca tunc jam ab hominibus habitata, ut putavit Isaacus Vossius, sed orbem universum demerserit, ac proinde etiam quod diluvium non inter fabulas, sed inter splendidissimas historicas veritates numerari debeat.

Opp. 2. Multa sunt in scriptura, quæ facta dicuntur, quin ullatenus intelligi possit, quomodo facta sint: nam primo quomodo potest intelligi Moysem scivisse ea, quæ contigerunt a creatione mundi ad sua usque tempora? unde tempore diluvij obtinuit tanta copia aquarum, quæ satis esset ut in pluvias dissoluta operiret altiora cacumina montium quindecim cubitis, sicut narrat Moyses in Genesi? quomodo Noe congregavit in Arcam cuncta animantia per totum orbem profecto jam tunc dispersa? quomodo eadem per annum integrum in illa aluit? sane hæc omnia incomprehensibilia videntur: deinde sunt etiam multa pugnantia in scriptura: nam si unum tantum hominem, & unam fæminam creavit Deus, Genes. cap. 1., & quidem in Asia, ut contendunt communiter Theologi, & interpretes, unde originem suam habere poterunt Americani, ab Asiæ continente penitus divisi, & non nisi sæculo XV. per Columbum detecti? unde nati sunt Nigritæ seu

Æthiopes, si Adam fuit albus? si autem fuit niger, unde sunt albi? igitur Scriptura non potest continere verbum Dei.

Resp. ad 1. *nego ans.* Ad primam probationem, seu ad quæstionem unde Moyses rescivit illa, quæ contigerunt a creatione mundi usque ad sua tempora? facilis est responsio: nimirum primo universim rescivit omnia ex certissima, & infallibili revelatione: deinde poterat absolute etiam omnia ediscere ex constanti traditione majorum: nam secundum Chronotaxim latinæ vulgatæ natus est anno mundi 2433. atque, ut notat Prosper ab Aquila in suo dictionario Theologico, Amram Pater Moysis vidit Levi filium Jacob, & vixit longo tempore cum illo; Levi autem vixit tempore Isaac annis 33., & Isaac annis 30. cum adhuc in hac vita superstes esset Sem filius Noe: porro Sem vixit annis 90. ante diluvium cum Mathusala, qui cum vixisset annos 969., conversatus est cum Adam omnium hominum Patre annis 263. ex quibus fit, quod ab Adam usque ad Moysem vix quinque generationes effluxerint: cum autem ea sit omnium hominum indoles, ut res patrias, præsertim magis memorabiles, cujusmodi esse illas, quæ in Genesi narrantur, nemo dubitare potest, crebra narratione ad Nepotes suos transmittant, facillimum profecto fuit, ut Moyses etiam a majoribus suis edisceret omnia, quæ ab exordio mundi usque ad sua tempora memoratu digna contigisse ab ipso in Genesi narrantur.

Ad quæstionem autem, unde tempore diluvij obtinuit tanta copia aquarum, quæ satis esset ad operiendum totam terram ad altitudinem quindecim cubitorum super altiora cacumina montium? in promptu pariter est responsio: nempe tum e cœlo, tum e terra prosilierunt aquæ: nam *ruptæ sunt omnes*

fontes abyssi magnæ & cataractæ cæli apertæ sunt genes. cap. 7. v. 11. quis autem potens est supputare quanta copia aquarum in spatio quadraginta dierum, & quadraginta noctium potuerit vel delabi de cœlo, vel erumpere ex terræ visceribus, cujus diameter computatur vulgo ad milliaria italica 6868., ut notat Gaudiosus Jagemann in sua Geographia, dum interim altiores montes ad quinque vel septem milliaria vix attolluntur? quis inquam istud, ut oporteret supputare potens est, ad hoc ut ita fidenter, sicuti faciunt increduli, concludi posset, eandem tempore diluvij ad operiendam terram sufficere minime potuisse? præterea constat ex cap. 1. genesis, quod in primo mundi exordio aqua totam terram operuerit; ergo potuit eandem iterum operire tempore diluvij: nisi fortassis magis arrideat asserere, sicut nonnulli asserunt, quod res ista miraculo contigerit; id est per novam aquarum productionem ex nihilo, & successivam deinceps illarum destructionem; quod Deum præstare potuisse, nemo jure negare audebit.

Quod additur de animantibus per orbem dispersis introducendis in Arcam, nullius est momenti: nam Deus ipse, qui cuncta animantia adduxit ad Adam in Paradiso, ut illis sua nomina imponeret, & *videret, quid vocaret ea* genes. cap. 2. v. 19. cum statuisset delere terram aquis diluvij, effecit etiam, ut singula servanda per arcam sua sponte se sisterent coram Noe, ut ab ipso in eam introducerentur: quod Deum facere potuisse, nonnisi insipiens negare potest.

Ejusdem farinæ est quæstio, quæ sequitur: nam quod Arca a Noe fabricata secundum dimensiones, quas notat Moyses gen. cap. 6. v. 15. scilicet tercentum cubitorum in longitudine, quinquaginta in

latitudine, & triginta in altitudine (18) capax fuerit, non solum, ut commode contineret octo homines & diversas omnium tam terrestrium quam volatilium species primigenias, sed etiam alimenta per integrum annum ijsdem necessaria, demonstratum jam fuit sæpius ad evidentiam, ut quisque per seipsum videre potest apud Augustinum Calmet in dictionario sacræ Scripturæ Artic. *Arca Noe* : ubi alia quoque complura huc pertinentia egregie atque diffuse pertractata inveniuntur.

Dictum est autem animantium *species primigenias*, nam constat in prima creatione pauciores fuisse, quam nunc sunt in omni fere genere, tam inter quadrupeda, quam inter volatilia, & diversas illorum species nonnisi successu temporis ex illorum commixtione enatas fuisse.

Ad alterum argumentum *nego pariter ans* Ad primam probationem de Origine Americanorum, principio respondemus non esse adeo certum, quod America, sive novus orbis, ut vocant, & habitatores ejus in nostro continente perfecte semper incogniti fuerint usqe ad annum 1492. in quo ad illos subjugandos Christophorus Columbus natione genuensis, ut fertur, cum classe hispanica mare athlanticum primus superavit, prout ad suam causam promovendam inepte urgent increduli: sunt enim reve-

(18) Genus Navigiorum ad normam Arcæ Noeticæ constructarum aptissimum esse ad ferendum onera triplo maiora, & velis etiam celerius moveri, quam naves communes, facto experimento comprobavit circa finem sæculi XVI. Petrus Hans cum duabus navibus ad prædictam normam ex industria & studiose fabricatis in Hollandia: ut testatur Georgius Hornius in histor. Imper. tametsi, ut notat idem scriptor, inventæ fuerint ineptæ ad ferendum machinas tormentarias & ad gerendum bellum.

ra non pauci, qui per prægrandem illam Insulam athlanticam, quam Lydia & Asia majorem memorat Plato in Timæo, & de qua græcorum fabulis insistens, tradit in Critia, quod eadem in deorum sortitione, qua universam terram inter se distribuerunt, Neptuno ad regendum obtigerit; sunt inquam non pauci, neque vulgares scriptores, qui in Insula ista, quam etiam Proclus suo tempore extra Herculis columnas, & orbem habitabilem positam fuisse suspexit, non aliam terræ partem, quam Americam designatam esse existimant: nec caret omni probabilitate quod per terram *Ophir* ex qua classis Salomonis magnam auri copiam deduxit, 3. Reg. cap. 9. v. 28. Peruvia intelligi debeat: sicut inter alios opinatus est Franciscus Vatablus, scriptor non obscuri nominis.

Præterea, notat etiam Petrus Martyr in suo Tractatu *de Insulis nuper repertis*, quod Hispani apud Americanos, cum primum ad eos appulerunt, observaverint & cruces, & vestigia quædam non æquivoca nostri baptismatis: ex quo non incongrue conjici potest, quod nationes illæ non solum antiquioribus populis jam cognitæ fuerint, sed etiam quod ad easdem regiones christiani penetraverint, & signa illa suæ Religionis ad Nationes illas secum asportaverint, licet postea de hac re memoriæ omnes periverint.

His generatim adnotatis, & præmisso, quod licet circa primos habitatores Americæ, & circa modum, quo illuc appulerunt, diversi diversa sentiant; (19) attamen apud omnes, qui rem istam

(19) Sunt qui ajunt primos incolas in Americam pervenisse navigatione, vel ex proposito instituta, vel naufragio & tempestate actos: nonnulli deducunt eos partim ex Norve-

non ex ideis suis anticipatis, & ex quadam animi præventione, sed ad puræ veritatis regulam examinant, certum est, & exploratum, quod omnes homines ab uno Adam suam habeant originem: & quia diluvium universale totum inundavit orbem, ut supra dictum fuit, consequitur necessario, quod etiam habitatores Americæ, si forte jam ante diluvium aliquos habuit, de quo neque affirmare, neque negare quidquam temere audemus, illo extincti, & deleti fuerint, sicuti contigit illis, qui alias terræ partes incolebant: ac proinde certum pariter esse debet, & exploratum, quod primi habitatores Americæ originem non habeant, nisi a posteris Noe: & quia America non solum homines alit, sed etiam bestias, nec solum domesticas, ut ajunt, sed etiam feras, atque hominibus ipsis infestas, & noxias; sicuti sunt Ursi, Leones, Lupi, Tigres &c. de quibus plane repugnat, quod homines illas in naves secum assumere sua sponte unquam voluerint, ut navigatione sive studiosa, sive fortuita, easdem secum in regiones illas deferrent, necessario concludendum esse

gia per Islandiam & Groenlandiam, & partim ex Affrica, Asia, & Hispania: ut Hugo Grotius in dissert. *de Origine Americanorum*: alij vero opinati sunt illuc perductam fuisse progeniem Chami, & quidem itinere maritimo per Dei punitionem postquam Israelitæ sub duce Josue terra Chanaan potiti sunt, ut refert Lescarbotus in histor. novæ Franciæ lib. 1. cap. 3. ubi auctor iste de suo, tanquam meram & puram conjecturam, singularem plane, & quæ ab alio quopiam nondum proposita fuerat, proponit, & injicit opinionem dicens: *quid impedit credere Noachum cum annos tercentos quinquaginta vixerit post diluvium, sollicitum fuisse & operam dedisse, ut regiones illæ incolas acciperent . . . ad eas enim haud difficilius illi fuit navigare, quam Italiæ incolas dare, & venire ab extremo limite maris mediterranei ad Tiberim, et construere suum Janiculum.*

videtur, primos incolas non navigando per mare, sed ambulando per terram in Americam transivisse, itinere scilicet, quo etiam bestiæ prædictæ in terras illas pervenire potuerint.

Quia vero continens noster, in quo posteros Noe post diluvium moram suam longiori tempore pertraxisse certissimum est, vastissimo mari undique cingitur, præterquam ad polum arcticum, ubi continens iste noster cum novo orbe valde contiguus est, concludendum plane videtur, quod primi habitatores in Americam ex ista parte pervenerint: nam licet fortassis verum sit, ut multi verum esse existimant, quod regiones illæ omnes, etiam ex illa parte, idest ad circulum polarem, ubi cum regionibus Americæ contiguæ sunt, & per quam facilis fuerit transitus in Americam ex Asia, ubi posteri Noe post diluvium diutius consederunt, perpetuo mari separatæ revera existant, quod tamen, si non fallor, post multas, & repetitas navigationes ab Anglis & alijs nationibus diligentissime institutas, verum esse usque modo certo nondum innotuit, inde tamen credere non cogimur, quod ita separatæ semper extiterint: etenim cum Deus etiam post diluvium universum orbem iterum incolis, & habitatoribus impleri voluerit Genes. cap. 9. v. 1. profecto providentiæ illius congruum erat; & maxime conveniens, ut commodam, & apertam illis relinqueret viam, ut suum istud æternum consilium executioni mandare, & perficere valerent; & quia in confesso est apud omnes, quod sæpe nunc terra sit, ubi olim mare, & altum æquor, ubi quondam terra fuit, sicuti præprimis permulti sentiunt de mari mediterraneo, quod erumpentibus aquis vel e Ponto Euxino, vel e mari athlantico productum fuisse volunt, nihil impedit credere, quod continens Ame-

ricæ cum continente nostro ex illa parte olim non solum contiguus fuerit, sed reapse quoque cohæserit, ut adeo ex uno in alium tam homines, quam bestiæ transire potuerint.

Si autem quæratur quando nam præcise transmigratio ista facta sit? respondemus sine dubio factam fuisse ex terra Sennaar, quam noster Augustinus Lubin in tabulis Geographiæ sacræ affirmat sitam fuisse ad partem Mesopotamiæ australiorem, & Georgius Hornius intra confluentem Tigridis, & Euphratis, migrando per Scythiam, & magnam Tartariam (20), vel in ipsa gentium dispersione, vel non multum postea; idest quando Deus in structura Babylonicæ turris confudit linguam hominum, & ita: *divisit eos ex illo loco in universas terras*, Genes. cap. 11. v. 8. nisi enim ita statuatur, vix, aut ne vix quidem plausibilis aliqua, & idonea ratio afferri posse videtur, tum quomodo habitatores Americæ ad tantam multitudinem excreverint, quando ab Hispanis subjugati fuerunt, ut plures non chiliades, sed miriades illorum, sine notabili diminutione trucidari potuerint, sicuti factum fuisse testantur omnes fere rerum istarum scriptores: tum etiam tot diversarum linguarum toto cœlo discrepantium, tam a seinvicem, quam ab illis, quæ in alijs cognitis terræ partibus notæ sunt, ita ut præter Mexicanam, Cuscensem, & Brasileensem vix alia reperiatur, quæ ad

(20) Dum hæc ita statuimus, arbitramur pro certo tenendum esse, quod iter, quo primi habitatores in Americam pervenire potuerint, extra Circulum polarem quæri debeat, eo quia ex consensione omnium, qui partes illas personaliter lustrarunt, regiones quæ intra circulum polarem positæ sunt, tanto frigore, tantaque nive omnibus anni tempestatibus opprimuntur, ut ex illa parte transitum non solum hominibus, sed etiam bestijs, si non absolute impossibilem, maxime tamen incommodum & difficilem reddant.

unam integram Provinciam pertineat : ac tandem tertio quomodo locum habere possit mira illa antiquitas mirabilium ædificiorum, quorum ruinas, & rudera in Mexicana præsertim, & in Peruviana provincia adhuc videre licet, & quam ad bismille annos facile ascendere testatur Josephus Acosta in descriptione novi Orbis.

Ad quæstionem autem unde Nigrittæ, seu Ætiopes, si Adam primus hominum Parens fuit albus? brevis, & facilis est responsio: nimirum a causis, quæ non ab intrinseco, sed tantum ab extrinseco propagationem humani generis afficiunt: puta vel ab adustione solis, quæ diversa est pro diversitate climatum; vel a ciborum, & potus qualitatibus; vel ab affectionibus, & modificationibus aeris; vel denique a diversis vaporibus, & terræ exhalationibus; quæ omnia tam separatim spectata, quam conjunctim mirum in modum influere possunt ad diversificandum tam colorem, quam reliqnam externam humani corporis habitudinem.

Dum autem quæritur utrum communis hominum parens fuerit albus vel niger? fidenter responderi potest, fuisse album; nam constat nonnisi seros posteros Noe degenerasse in nigros propter influxum causarum, quas modo commemoravimus: sicuti non incongrue infertur ex eo, quia filij nigrorum non statim a primo nativitatis momento sunt nigri, sicuti esse deberent, si nigredo esset qualitas permanens, in filios hominum a primis illorum parentibus derivata, neque induunt colorem nigrum, nisi paulatim, & veluti per gradus, postquam ex utero matrum jam sunt egressi: sicuti testatur Dominus Demanet, viginti annis inter nigros commoratus, in dissertatione apposita ad calcem Affricæ gallicanæ.

Opp. 3. Ex miraculis nullum desumi potest vali-

dum argumentum ad ostendendum, quod in scriptura contineatur verbum Dei: nam fieri potest, quod vel impostores fuerint, qui ea conscripserunt, vel quod ab impostore aliquo in illam intrusa fuerint: deinde in Exodo cap. 7. vers. 11. ubi sermo est de Magis Pharaonis, legitur: *fecerunt similiter ut fecit Moyses*: atqui miracula magorum non probant Ægyptiorum doctrinam esse divinam; ergo etiam miracula a Moyse perpetrata hoc ipsum probare non possunt; huc accedit quod etiam gentiles sua miracula laudant, quin tamen inde sequatur quod doctrina illorum divinitus inspirata fuerit: Præterea miracula Christi narrantur ab Apostolis, qui erant non solum amici, sed etiam discipuli ejus: ergo ijsdem nulla præstari potest fides; siquidem ut est in proverbio, amici de amicis semper bona loquuntur: tandem Judæi nunquam crediderunt miraculis Christi; & quod spectat ad ejus resurrectionem a mortuis, illam non solum negaverunt Judæi, sed etiam milites custodes sepulchri. Ergo universim ex miraculis nullum desumi potest argumentum ad ostendendum quod in Scriptura contineatur verbum Dei.

Respond. ad primum *nego ans.* Ad primam probationem *nego* utramque partem: & primo quidem moraliter impossibile est Scriptores ipsos librorum sacræ Scripturæ, dum miracula referunt, vel a seipsis, vel ab alijs perpetrata, impostores fuisse: nam quod non immerito, sed jure aliquo pro impostoribus haberi valeant, qui facta enarrant obcsura, & perpetrata in latebris, qui favorem, & gratiam hominum, maxime vero potentum, & divitum aucupantur, qui suæ potius, & amicorum utilitati atque honori prospicere student, istud utcunque intelligitur; nam quotidiana testatur experientia, quod ordinarie ita se gerant fraudum artifices; sed quod im-

postores fuerint, qui facta enarrant publica, & perpetrata non clanculum, & in abscondito, sed coram universa multitudine, cui intererat plurimum eadem falsa proclamare, si vere falsa fuissent, qui non vana eloquentia, non suæ propriæ, vel suorum utilitatis gratia, sed alios juvandi animo, & veritatis solius amore sermonem adhibent, non fucatum, sed simplicem, qui non secus vitia suorum, si quædam ab ipsis contracta fuerunt, quam virtutes, & laudabiles actiones sincere recensent, & referunt, sicuti fecerunt Moyses, Prophetæ, & Apostoli; quod inquam hujus generis scriptores impostores fuerint, istud non solum probatis omnibus criticæ regulis, sed etiam sensui hominum communi omnino contrarium est, atque repugnans.

Deinde ut aliquo pacto suaderi posset, quod miracula in sanctos libros ab impostore aliquo deinceps intrusa fuerint, supponendum necessario est, crimen istud comitti debuisse vel viventibus adhuc illis, a quibus libri isti conscripti fuerunt, vel illis jam mortuis: at vero repugnat vel unum, vel alterum revera factum fuisse; nam primo quomodo fieri potuit, ut ætate Moysis, Prophetarum, & Apostolorum impostor aliquis scripta illorum sub propriis ipsorum oculis temerare auderet, & intrudere narrationes factorum, de quibus ipsi ne somniaverint quidem? num fraudem istam silentio ferre potuissent scriptores, qui aliunde omnem suum sermonem ad strictissimam veritatis regulam ubique componunt? deinde repugnat etiam fraudem istam commissam fuisse sacris scriptoribus jam mortuis: nam universim fraus ista committi non poterat, nisi vel a Judæis, vel a paganis, vel a Christianis: atqui moraliter impossibile est, quod ab aliquo istorum ullo unquam tempore fraus ista commissa sit: nam si commissa dicatura Judæis; profecto hoc fieri

debuit, vel ante, vel post adventum Christi, atqui neutrum fieri potuit, quin in utroque casu istud animadverterent, in primo quidem etiam alii Judæi, & Christus ipse, qui cum sæpius illorum scelera reprehenderit, de temerata tamen ab ipsis sacra Scriptura nullibi legitur, quod illis hanc impietatem aliquando imputaverit: in secundo autem casu, nempe in quo supponitur scripturam a Judæis temeratam fuisse post adventum Christi, debebant istud advertere præprimis etiam Christiani, atque impostorem de scelere isto corripere: neque ulla ratione dubitari potest, quin istud impense facturi essent, statim ac illis licuisset impostorem hujusmodi detegere, siquidem etiam Christiani summo semper studio & maximo zelo eo semper animum intenderunt, ne libri sacri ausu temerario unquam corrumperentur (21) igitur fieri non po-

(21) Quod etiam Judaei omni tempore maxime vigilaverint, & omnem attentionem atque studium suum in eo posuerint, ne sacri illorum libri quoquomodo corrumperentur, testes sunt omnes illius gentis scriptores, qui unanimi consensu affirmant eosdem semper paratos fuisse mortem potius appetere, quam permittere, ut aliqnid ex illis vel demeretur, vel mutaretur, sicuti praeprimis testatur Josephus Flavius lib. 1. contra Appionem scribens *Quanta porro veneratione libros nostros prosequamur, reipsa apparet: cum enim tot jam saecula effluxerunt; nemo adhuc nec adjicere quidquam illis, nec demere aut mutare aliquid est ausus: sèd omnibus Judaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum, atque innatum est, Dei ut haec esse praecepta credamus, iisdemque constanter adhaereamus, & eorum causa, si opus fuerit libentissime mortem perferamus*. Ex quibus universim quoque intelligi potest, quod scriptura sacra, sicuti illam nunc habemus, in substantialibus vere integra sit, & minime corrupta; quemadmodum seorsim demonstrant quotquot de locis Theologicis pertractant: quod si vero quis opponat Justinum in dialogo cum Tryphone, Irenaeum lib. 3. adversus haereses cap. 34. Tertullianum *de habitu muliebri*, & Chrysostomum homil. 5. in Math.

tuit, ut a Judæis miracula in sacram scripturam unquam intruderentur: de Paganis autem quis sibi persuadebit, quod in sacros libros inferre voluerint miracula, quibus præsertim & potissimum, sicuti unius supremi Nummis cultus asseritur, ita pluralitas deorum manifestissime evertitur? imo quis statim non videt verosimilius esse, quod pagani, si ipsis licuisset, studuissent potius eadem ex scriptura eradere, quam inferre: Sed neque ex Christianis aliquis hanc fraudem committere potuit: nam ut impostor aliquis

qui omnes accusant Judaeos, quod libros sacros in odium Christianae Religionis adulteraverint; respondendum est, quod praedicti Patres non loquantur de Judaeis in genere, vel de Synagoga Judaeorum, sed de quibusdam singularibus illorum scriptoribus: nempe de Aquila, de Symmacho, & de Theodotione, qui in suis sacrae Scripturae versionibus, de quibus hic infra cap. IV. saepe subdole occultarunt mysteria Salvatoris nostri, ut de illis expresse fatetur S. Hieronymus in librum Job dicens *quod si apud graecos post LXX. editionem jam Christi evangelio coruscante Judaeus Aquila, & Symmachus, et Theodotion judaizantes haeretici sunt inventi, qui multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celarunt*. De caetero enim, quod spectat ad Judaeos generatim, illos a crimine isto de corruptis sacris libris plene vindicat primo quidem S. P. Augustinus in lib. 15. de Civit. Dei cap. 13 ubi inquit *anne credibile est ipsos* (Judaeos) *Codicibus sacris voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem, vel per totum orbem dispersos potuisse in hoc conspirare nullo contradicente*: & deinde etiam modo citatus Sanct. Hieronymus Comm. in Isaiam cap. 6. dicens *Si aliquis dixerit hebræos libros postea a Judaeis esse falsatos, audiat Origenem, qui in octavo versu explanationum Isaiae huic respondet quaestiunculae, quod nunquam Dominus et Apostoli, qui caetera omnia arguunt in scribis et Pharisaeis, de hoc crimine reticuissent. Sin autem dixeris post adventum Domini Salvatoris, et praedicationem Apostolorum libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator et Evangelistae et Apostoli protulerint, ut Judaei postea falsaturi erant.*

ex istis miracula in libros sacros inferre potuisset, profecto hic esse debuit vel catholicus, vel hæreticus, atqui de neutro depravatio ista merito supponi potest: siquidem cum jam ab exordio nascentis Ecclesiæ Christi libri sacri in omnium manibus versarentur, si catholicus aliquis miracula in illos inferre tentasset, profecto hoc fieri non poterat, quin illud illico adverterent hæretici, ac proinde fraudem istam in catholicis improbarent: si autem hæreticus aliquis idipsum tentare ausus esset, non poterant officio suo deesse catholici, quin sicut omnes hæreticorum errores semper improbarunt, ita etiam istam illorum temeritatem palam redarguere, & improbare omitterent; atqui nihil plane legimus in fastis Eeclesiæ, quo constet quemquam hæreticorum reum postulatum, quod miracula in scripturam sacram intrudere conatus sit: ergo nonnisi temere, & sine ullo fundamento asseritur miracula in sacros libros aliquando ab impostore aliquo intrusa fuisse, sed pergamus ad alia.

Ad alterum argumentum *dist.* Magi Pharaonis fecerunt similiter, ut fecit Moyses apparenter, & in aliquibus *conc.* Vere & realiter, atque in omnibus *nego*. Utique verissimum est, quod miracula, sive potius prodigia illa, quæ Magi Pharaonis perpetrasse leguntur Exodi cap. 7. ad imitationem eorum, quæ perpetravit Moyses, non probant, sed neque probare possunt Ægyptiorum doctrinam divinam esse, sicut hoc probant miracula Moysis: nec immerito, siquidem illa in infinitum fere distant ab istis, quæ a Moyse perpetrata fuerunt: & absolute loquendo, non erant vera miracula, sed ficta & apparentia: quod ut clare perspiciatur, notari hic debet generatim primo, quod miracula in latiori significatione accepta tribus modis fieri possint, nempe primo magia qnadam, ut ajunt naturali; quando scilicet in loco aliquo obscu-

ro accensis candelis cum lichniis, vel adipe anguium & aliorum animantium fabrefactis, vel succis diversarum herbarum delibutis, efficitur, ut illis ardentibus arte quadam naturali, occulta nobis, sed cognita illis, qui hac arte præditi sunt, ex certa causarum secundarum combinatione appareant in umbris Viridaria, animantia, & alia spectra; & hæc vocantur simpliciter *Mira*: cujusmodi multa patrata dicuntur a Pico Mirandulano, a Ficino, a Sarcha &c. Secundo fiunt & fieri possunt miracula, sive ut rectius loquamur, mirabilia etiam ope & virtute dæmonum, quibus sublunaria corpora, quantum ad motum pertinet, permittente Deo obediunt: sicuti cum oracula reddita fuerunt a simulacris gentilium; & ista dicuntur præstigia & ostenta, & quando vel cum expressa, vel cum tacita invocatione dæmonum fiunt in damnum, aut nocumentum alterius, tunc vocantur maleficia: Tertio tandem fiunt invocatione divini nominis, & virtute supernaturali, vel immutatione, vel suspensione & interruptione legum naturæ: & ista vocantur miracula vere & proprie dicta.

Secundo notari debet, quod vera miracula a falsis multiplici titulo discernantur: nam *primo* vera miracula fiunt semper in rerum substantiis, & producunt effectum realem, quem ipsa demonstrant: econtra vero ficta vel non producunt effectum realem, quem demonstrant, sed apparentem tantum; vel etiam producunt directe effectum contrarium, sicuti contigit Calvino, qui testante Hieronymo Bolseco apud Bellarminum lib. 4. de notis Eccles. cap. 14. volens fictum mortuum revocare ad vitam, Deo sic disponente constituit e vivo mortuum: atque ideo si e sepulchro *v. g.* excitetur mortuus, & corpus palpabile non habeat, erit spectrum, & phantasma, non autem verum miraculum: & generatim transmutationes hominum in lupos, in

volucres, & in alia animantia, si tamen Poetæ, qui ista narrant, vera nobis enarrant, nihil aliud fuerunt, quam vel imaginationes phantasiæ humanæ, vel absolutæ sensuum illusiones permittente Deo a dæmonibus factæ. Deinde vera miracula durant perpetuo, falsa autem diu durare non possunt: sic Exodi cap. 7. legimus, quod Ægyptii per septem dies non potuerint bibere aquam fluminis conversam in sanguinem, & coacti fuerint fodere puteos ad obtinendam aquam potabilem: sic etiam ranæ Exodi cap. 8. & locustæ ibidem cap. 9. non recesserunt ab Ægyptiis, nec grando & tonitrua cessarunt ibidem cap. 10. neque tenebræ dissipatæ sunt, nisi ad deprecationem Moysis factam ex condicto cum Pharaone. *Tertio* vera miracula fiunt oratione, sive ut dictum est supra, invocatione Divini nominis, falsa autem sussurrationibus, & signis inusitatis, ac superstitiosis, de qua re S. P. Augustinus in lib. 83. Quæstionum quæst. 79. inquit *aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani: magi per privatos contractus, boni Christiani per publicam justitiam, mali Christiani per signa publicæ justitiæ*: *Quarto* vera miracula habent semper pro objecto honorem Dei, & juvamen proximi; falsa autem fiunt vel ad nocendum, vel ad inutilitatis, & puræ curiositatis incitamentum: ac proinde mira omnia, quæ aut curiositati tantum deserviunt, aut fiunt ad nocendum plane insontibus, satis per se ingerunt suspicionem, quod non sint vera miracula. *Quinto* tandem vera miracula discernuntur a falsis, quia vera miracula neque fiunt, neque fieri possunt, nisi in confirmationem veritatis, & commendationem virtutis: siquidem ut testatur Paulus in 1. ad Corinth. cap. 12. v. 3. *nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu*.

His notatis difficile non est intelligere, quid vere

sentiendum sit de Operibus Magorum Pharaonis: nimirum tametsi etiam virgæ *eorum versæ sint in dracones* Exodi cap. 7. v. 12. & mutaverint etiam ipsi aquam in sanguinem incantationibus suis, ibidem v. 22. (22) & eduxerint ranas, Exodi cap. 8. v. 7. in quibus omnibus aliquo pacto fecerunt similiter, ut fecit Moyses: attamen liquet etiam ex cap. 7. v. 12. Exodi quod devoraverit *Virga Aaron virgas eorum*, & quod, cum ventum esset ad quartam plagam; nec

(22) Solent autem hic quaerere increduli, unde aquam in sanguinem verterint incantatores Ægypti? si tota aqua Ægypti in sanguinem conversa jam fuerat a Moyse? & factus jam fuerat cruor in omni terra Ægypti, tam in fluminibus, quam in rivis, in paludibus, & lacubus, imo etiam *tam in ligneis vasis, quam saxeis* Exodi cap. 7. v. 19. & quomodo ranas novas educere poterant, cum jam per Moysem undique eductae essent? ibidem cap. 8. v. 6. similiter unde Pharao equitatum conduxit ad persequendum Israelem, postquam per pestem immissam quinto loco super equos, & asinos,& Camelos,& boves,& oves, mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum? ut legitur Exodi cap. 9. v. 6. Sed haec nullius plane sunt momenti: nam primo terra Gessen, ubi habitabant filii Israel, fuit semper immunis a plagis, quas Deus immisit in Ægyptios, ut patet tum ex eo, quia ubique annuntiantur immittendae, vel super Ægyptum, vel super Ægyptios, tum etiam ex eo, quia terra Gessen etiam expresse exempta pronuntiatur tam a plaga muscarum, quam ab illis, quae post istam secutae sunt: ac proinde poterant Magi Pharaonis ex terra Gessen haurire aquam, quam in sanguinem verterent; et accersere ranas: ut affirmat S. P. Augustinus quaest. 23. in Exodum dicens *proinde intelligendum est regionem, ubi filii Israel habitabant, plagis talibus non fuisse percussam, et inde potuerunt incantatores vel aquam haurire, quam in sanguinem verterent, vel aliquas ranas educere ad solam demonstrationem magicae potentiae*. Quod autem pertinet ad equitatum patet ex cap. 9. per pestem immissam interficienda fuisse animantia, quae erant in agris, in quibus non comprehendebatur equitatus militaris, qui ordinarie nutritur in stabulis.

possent educere Sciniphes, compulsi fuerint fateri *digitus Dei est hic* Exodi cap. 8. v. 19. ex quibus aperte colligitur, quod virtus magorum comparative ad virtutem Moysis & infirma fuerit, & insufficiens, ac proinde particula illa *similiter* nihil aliud significat, nisi quod Magi conati sint facere, quæ faciebat Moises, non autem, quod etiam effecerint; quod non obscure etiam inde colligitur, quia particula ista *similiter* adhibetur quoque cap. 8. v. 18. quando revera conatibus suis nullum plane produxerunt effectum, nempe *feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent Sciniphes, & non potuerunt*. Quamobrem universim concludendum est, quod opera magorum non erant vera miracula, sed ficta; & quæ non consistebant, nisi vel in solis apparentiis rerum, vel in substitutione earum a dæmonibus facta, vel denique in naturali quadam causarum secundarum attemperatione, quæ artem dæmoniorum non excedit.

Idem judicium ferri debet de miraculis gentilium: nimirum etiam ista universim loquendo, neque enim vacat singularia prosequi, vel fuerunt penitus conficta: sicuti est illuminatio cœci, tam illa facta a Vespasiano apud Tacitum lib. 4. quam altera facta ab Adriano apud Spartianum: vel etiam fuerunt mera præstigia ope dæmonis facta (23) sicuti sunt primo, quæ

(23) Quia jam saepe hic incidit sermo de potestate daemonum, ut pateat, quod illis corpora sobluṅaria, quantum ad motum revera obediant, quod aliquoties jam affirmavimus, opus non est alia demonstratione, quam illa, quae continetur in historia Jobi patientis, siquidem ex ea clare innotescit, quod daemonum opera eidem direptae fuerunt possessiones omnes, deperdita omnis illius substantia, interempti ejus filii, & postremo etiam ipse ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem capitis percussus fuerit: quae sane per

narrantur de Iside, de Æsculapio, & de Apollonio Tyanæo, quem postremum insignem præstigiatorem fuisse ostendit Eusebius contra Hieroclem, & cujus historiam describit Philastrius; quem omnes insignem pariter fabulatorem esse suspiciunt: & secundo dæmonum quoque operationes esse videntur, quæ narrantur de Vestalibus, nimirum de Claudia, quæ ex Valerio Maximo lib. 8. de violata pudicitia falso accusata, ad probandam suam innocentiam navim in medio Tiberi hærentem, ita firmiter, ut nulla vi adhibita inde dimoveri potuerit, solo suo cingulo ad solitam navium stationem pertraxisse perhibetur: atque de Tucia, quæ ex Varrone apud S. P. Augustinum in lib. 22. de Civit. Dei cap. 11. de eodem crimine falso accusata aquam e Tiberi cribro haustam ad forum usque deportasse fertur, quin quidquam aquæ per pertusa foramina in terram defluxerit, quod dæmonum ope fieri potuisse expresse supponit loco citato num. 3. idem S. Doctor: quæ cum ita sint, mirum plane esse non debet, quod tam magorum Pharaonis, quam gentilium præstigia, nihil conferre possint ad conciliandam sibi, vel suæ doctrinæ, non dicam divinam, sed ne quidem humanam auctoritatem, nam opera mendacia nullam plane possunt confirmare veritatem.

Ad postremum *dist.* Miracula Christi narrantur ab Apostolis Amicis & Discipulis Christi cum illis cir-

se manifeste demonstrant maximam & fere incredibilem dæmonum potestatem in corpora omnia: ex quibus ulterius intelligitur, quod revera mira multa efficere possint etiam in humani generis perniciem: quod tamen ita accipi debet, quod nihil possint, nisi permittente Deo, sicuti suis in locis diximus, & sicut ex hac ipsa Jobi historia manifeste deducitur, præsertim vero & perspicue ex eo, quod Dominus cap. 2. v. 6. ad Satanam conversus inquit: *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.*

cumstantiis, quæ ipsæ per se veritatem illorum manifestant *conc.* secus *nego* licet verum esset, quod soli Apostoli Amici atque Discipuli Christi, & non etiam alii, miracula Christi promulgaverint, quod tamen falsum est, nihilominus summa illis jure ac merito præstari deberet fides, nam promulgarunt facta publica omnium oculis exposita, quæ facillime poterant ab omnibus de falsitate redargui, si quædam subesset, & inter alia promulgarunt factum solemne, & antea omnino inauditum, scilicet factum resurrectionis Christi a mortuis (Vid. Not. 12.) & quod omnem humanam fidem superat, promulgarunt illud ea animi constantia & fortitudine, ut omnes propter testimonium resurrectionis acerba morte crudelissime necati fuerit: quis autem sanæ mentis sibi persuadere poterit, omnes Apostolos in isto testimonio asserendo adeo constantes & unanimes futuros fuisse, si ipsum scivissent esse falsum? quis prudens testimonium istud falsum esse reputare potest, si animadvertat, quod factum resurrectionis, non una tantum vel altera ratione, sed multiplici, non per brevem aliquam horam, vel per unum aliquem diem, sed per dies quadraginta constanter Apostolis innotuit: ut patet ex actis cap. 1. v. 3. ubi legimus de Christo *præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei; & convescens præcepit eis ab Jerosolimis ne discederent.* Atque si insuper expendat, quod non in secreto, sed palam, *& videntibus illis elevatus est & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Act. c. 1. v. 9.

Dictum tamen est falsum esse, quod soli Apostoli miracula Christi promulgaverint: & jure merito: nam etiam sanati a Christo prædicabant illa palam & coram omnibus: ut patet de cæco nato Joan. cap. 9.

v. 15. qui coram universa Synagoga seipsum a Christo sanatum fuisse professus est; neque soli Apostoli fuerunt testes resurrectionis Christi: nam *visus est plusquam quingentis fratribus simul* ut testatur Paulus in 1. ad Corinth. cap. 15. v. 6.

Sed inquiunt increduli, Apostoli erant intimi Amici Christi, & Discipuli ejus? quibus respondemus; nunquid unquam historicis Græcorum & Romanorum quisquam fidem denegavit propter hanc solam rationem, quod essent Patriæ suæ amantissimi? minime vero: igitur ratio ista nulla pariter est, vel esse potest, ut de miraculis Christi ab Apostolis promulgatis quoquo modo jure dubitari valeat.

Ad primam Confirmationem *dist.* Judæi non crediderunt miraculis Christi, si sermo sit de multis *conc.* si sermo sit de omnibus *nego*. Principio licet ab initio neque Judæi, neque Gentiles omnes credidissent miraculis Christi, hoc tamen inficiari nequit, quod neque Judæi, neque gentiles unquam ausi sunt eadem absolute negare: nam illi tribuebant ea dæmoniis ex Joan. cap. 8. v. 48. ubi introducuntur Pharisæi dicere Christo *nonne bene dicimus nos quia dæmonium habes*: & ex cap. 9. v. 15. ubi ajunt in *Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*: Gentiles autem adscribebant illa arti magicæ; ut patet ex Celso apud Origenem lib. 1. & ex Juliano Apostata apud Cyrillum lib. 6. contra eum. Deinde certum est, quod in principio Ecclesia Christi non coalesceret, nisi ex solis Judæis ad fidem conversis, ergo permulti revera crediderunt miraculis Christi; & hoc est, quod Pharisæi & Sacerdotes ipsi palam fatentur, dum Joan. cap. 12. v. 19. inquiunt *ecce mundus totus post eum abiit*: quod autem per multi etiam non crediderunt, mirum esse non debet, nam hoc contigit, & contingit, quia odio & invidia

excœcati adversus Christum, & vana spe temporalium bonorum decepti, expectabant, & nunc etiam expectant Messiam promissum in lege eorum, venturum esse ut regem potentissimum, qui terrena bona omnia, & commoda hujus vitæ ipsis apportare deberet, & debeat.

Ad alteram Confirmationem *dist.* non solum Judæi, sed etiam milites custodes sepulchri negaverunt Christum resurrexisse immerito, & sine omni fundamento *conc.* secus *nego*. Fidem resurrectionis Christi a mortuis evacuare nullo modo potest, quod illam negasse perhibeantur cum Judæis, etiam milites custodes sepulchri; nisi prius ostendatur, quod illam jure & merito negaverint: quod profecto nulla ratione ostendi potest: nam quis est, qui per se non videat, quam parvam, imo vero quam nullam fidem mereantur milites isti in comparatione Apostolorum, & quingentorum fratrum, qui omnes, ut supra dictum est, non semel, sed sæpius spatio quadraginta dierum Christum redivivum viderunt, & ex quibus etiam tempore, quo Paulus scripsit ad Corinthios suam primam Epistolam, multi vivebant, ut in illa Epistola cap. 15. v. 6. affirmat Apostolus: Præterea certissimum est, quod neque milites, neque Judæi indicaverint unquam, vel indicare potuerint locum aliquem, in quem corpus Christi exanime, ab Apostolis furto sublatum, ut mendaciter supponebant, repositum postea fuerit, quemadmodum aliquem indicare oportebat, ut factum ipsum se jure negare ostendere possent: Huc accedit quod milites isti fatentur se obdormisse, dum interim accusant Apostolos, quod corpus Christi suffuraverint: sane enim qui dormit, non potest esse testis idoneus illorum, quæ interim peraguntur a vigilantibus, ut propterea etiam jure S. P. Augustinus enarrat: in Psalm. 75. Judæos

refellat dicens *O infelix astutia . . . . dormientes testes adhibes? vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti.*

CAPUT II.

De Medio, quo nobis tam scriptura sacra, quam integra fides certo innotescit.

Postquam ostendimus adversus incredulos, non solum quod divina revelatio sit possibilis, & necessaria, sed etiam quod revera existat in volumine illo, quod sacram scripturam nominamus, contenta, ordo postulat, ut adversus hæreticos accuratius inquiramus, & simul ostendamus, quodnam sit medium infallibile, sive certa & infallibilis auctoritas, mediante qua tam ipsam sacram scripturam, quam reliquos omnes articulos nostræ fidei certo pariter agnoscere, atque discernere valeamus.

Ut autem quæstio ista rite pertractetur, necessæ est præmittere, quod fides catholica (1) de qua hic

(1) Magnum est discrimen inter istas propositiones: *est de fide*, & *est de fide catholica*: nam prior respicit veritatem aliquam in se spectatam, quatenus vere est una ex divinitus revelatis: ac proinde ut aliquid sit de fide, hoc habet a Deo revelante: e contra autem altera propositio respicit eandem veritatem relate ad nos: sive quatenus id, quod a Deo revelatum est, certo nobis innotescit, quod vere divinitus revelatum fuerit: ac proinde ut aliquid dicatur de fide catholica satis non est, ut fuerit divinitus revelatum, sed requiritur insuper, ut ex auctoritate legitima, sive medio aliquo certo, & infallibili nobis notum sit, quod vere divinitus revelatum fuerit: ut attendentibus patet; ex quibus intelligitur, quod absolute aliquid possit esse de fide, quamvis non sit de fide catholica, eo quia potest aliquid esse revelatum, quin certa auctoritate constet & innotescat, quod vere revelatum sit.

loquimur, nihil aliud sit, quam firmus & constans assensus mentis in veritates revelatas propter auctoritatem Dei revelantis.

Dicitur primo *firmus & constans assensus mentis* ut significetur ad fidem istam necessario requiri sensum aliquem internum, quo ille, qui credit, firmiter judicet verissimum esse, quidquid fide sua apprehendit.

Dicitur secundo *in veritates revelatas* quia universim nihil pertinet, aut pertinere potest ad fidem catholicam, quod non fuerit vel formaliter vel virtualiter revelatum.

Dicitur tertio *propter auctoritatem Dei revelantis* quia firmitas judicii, quo credimus verissimum esse, quidquid fide apprehendimus, inniti debet in sola auctoritate Dei revelantis tanquam in suo objecto formali, ut scholæ loquuntur: idest tanquam in unica & sola ratione, propter quam credimus vera esse, quæ nobis tanquam divinitus revelata innotescunt.

Ad formandum autem sensum illum internum, seu firmum judicium de veritate aliqua in particulari propter solam auctoritatem Dei revelantis, duo necessario requiruntur: nempe primo intima persuasio, quod infallibiliter verum sit, quidquid a Deo revelatum esse cognoscimus; & secundo etiam medium aliquod certum, & infallibile, sive ratio & auctoritas certa, qua certo pariter & infallibiliter innotescat, veritatem illam esse unam ex illis, quæ vere divinitus revelatæ fuerunt: nam moraliter impossibile est, ut majori certitudine apprehendamus aliquid tanquam divinitus revelatum, quam sit certitudo illa, quam habemus de medio, quo nobis innotescunt illa, quæ vere divinitus revelata fuerunt.

Lutherani & Calvinistæ, quorum errores in hac

præsertim materia cum doctrina catholica oppositi sunt, docent unanimiter, quod medium, quo certi reddimur tam de divina revelatione, quam de singulis objectis fidei aliud non sit, quam sacra scriptura; eamque propterea unicam, & solam totius nostræ fidei regulam esse affirmant, cum hoc discrimine, quod ex Lutheranis alii provocant ad scripturam in plana, & obvia significatione verborum acceptam; alii vero cum Hunnio docent idipsum de scriptura spectata comparative ad antecedentia, & consequentia: & dum ab illis quæritur, quo medio sive qua auctoritate innotescat, quod liber aliquis vere sacra scriptura vocari debeat? tunc confugiunt ad comparationem lucis, quæ ita oculos intuentium afficit, ut solo aspectu discernatur a tenebris: tandem Calvinistæ appellant ad Spiritum privatum docentes, fideles interius juvari privata Spiritus Sancti assistentia ad ediscendum ex sacra scriptura omnia illa, quæ divinitus revelata nobis ad credendum proposita fuerunt: sit igitur.

Propositio I. Scriptura sacra in plana, & obvia significatione verborum non potest esse medium adæquatum ad dogmata revelata omnibus fidelibus certo, & infallibiliter communicanda.

Probatur. Ut scriptura sacra posset dici, & esse medium adæquatum ad dogmata revelata omnibus fidelibus certo, & infallibiliter communicanda, præter illa quæ infra in probatione ad IV. Propositionem distincte afferentur, necesse esset, non solum ut dogmata illa omnia in plana & obvia significatione verborum in ea contenta essent, sed etiam quod sic contenta palam ab omnibus cognosci valeant, atqui neutrum dici potest: non primum; nam licet Christus tam per seipsum, quam post suam ascensionen in cœlum per Spiritum suum Apostolos suos

docuerit omnem veritatem, sive omnia credenda, constat tamen, quod isti non omnia, quæ illos Christus & Spiritus ejus edocuit, in scripturam retulerunt, ut productis exemplis manifestum fiet, ubi de traditionibus: deinde ut omittamus, quod multa, quæ in sacra scriptura continentur, etiam ex illis, quæ credenda sunt, non sint ita perspicua, ut ab omnibus apprehendi, & intelligi possint, sicuti clare evincitur ex tot, ac tantis scripturæ interpretationibus, quas catholici æque, atque hæretici elucubrare consueverunt; & ulterius, quod scriptura spectata tantum, ut conflata ex materialibus apicibus, sæpe diversos patitur sensus, atque de se muta sit, nihilque determinate doceat; sane ut quis ex illa certo & infallibiliter ediscere posset singula credenda, ante omnia necesse esset, ut constaret certo pariter, & infallibiliter, quod testimonia illa ex quibus ea, quæ credenda sunt, innotescunt, sint etiam canonica, & infallibilis auctoritatis, sive quod fuerint revera divinitus inspirata? nam nisi hoc constet, non poterunt quemquam certum reddere, quod veritates in illis contentæ Deum Auctorem habeant, atque ideo propter auctoritatem Dei revelantis firma fide teneri debeant: at vero si scriptura sacra in se est medium unicum quo dogmata revelata innotescunt, undenam constabit infallibilis istorum testimoniorum auctoritas? num fortassis ex ipsa scriptura? verum ineptissimum plane est idem per idem demonstrandi genus, neque quidquam omnino ex illo concludi potest; ergo scriptura non potest esse medium adæquatum ad dogmata omnia revelata fidelibus certo, & infallibiliter communicanda: præterea medium adæquatum acquirendæ alicujus veritatis debet esse per se planum, obvium, & veritatem ipsam, de qua agitur sincere illam quærentibus palam ostendere: atqui tan-

tum abest, ut omnes, etiam illi, qui profitentur se fidem sincere inquirere, per solam scripturam attingere possint dogmata omnia divinitus revelata, & ad credendum proposita, quin potius experientia manifeste nos doceat, quod illi præsertim, qui spreto Ecclesiæ Magisterio solam scripturam tanquam omnium credendorum regulam profitentur, in pessimos semper prolapsi sunt errores: nam ut nihil interim dicamus, quod scripturam sacram, ut observat Vincentius Lirinensis in Commonit. cap. 2. *aliter Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exposuit: aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus: aliter Jovinianus, Pelagius, Cœlestinus, aliter postremo Nestorius*: quibus addi potest; aliter Lutherus, aliter Calvinus, & aliter Socinus: ut inquam de hac diversitate expositionum sacræ scripturæ nihil dicamus, sane nullum plane est dogma christianum, nullus fidei articulus, nequidem ex illis, qui in symbolo Apostolico clare continentur, quem non ejuraverint, vel antiqui vel recentiores hæretici, tametsi omnes sacram scripturam tamquam regulam fidei susciperent: nam alii spoliarunt hominem præclarissimo dono liberi arbitrii cum Manichæis, ut Lutherani & Calvinistæ omnes: alii e contra extulerunt illud adeo enormiter cum Pelagianis, ut ipsum gratia Christi ad bene operandum minime egere statuerent; ut Arminiani: quidam damnarunt baptismum parvulorum ante usum rationis tanquam illicitum, & invalidum, ut Anabaptistæ: alii e contra fassi sunt illum esse licitum, & validum, sed nonnulli, qui cum Luthero propugnant justificationem hominis fieri per imputationem justitiæ Christi, docuerunt eundem ad salutem æternam etiam in adultis sine merito bonorum operum proxime sufficere: alii vero, qui cum Cal-

vino dogmatizant reprobationem non tanium negativam, sed etiam positivam, non tantum in ordine intentionis, sed directe etiam & in ordine executionis pendere ab absoluto Dei decreto, affirmant baptizatos quoque sine actuali reatu aut culpa in infernum damnari posse: Angli schismatici universim agnoscunt Episcopatum tanquam dignitatem in Ecclesia a Christo institutam, sed Presbyteriani & Puritani, qui eodem schismate detinentur, docent illum a Presbyteratu minime differre: Lutherani & Calvinistæ fatentur quod Christus sit verus Deus: sed Sociniani ajunt illum esse purum hominem, & humani generis Pædagogum: item complures Lutherani docent in Eucharistia cum pane & vino adesse realiter corpus & sanguinem Christi: Calvinistæ autem non agnoscunt in illa, nisi nudum Symbolum & figuram Corporis & Sanguinis Christi: unde autem putandum est ortam esse tantam errorum colluviem, si scriptura sacra in plana & obvia significatione verborum continet, & exhibet omnia credenda, ita ut omnes ex sola scriptura certo & infallibiliter attingere possint dogmata omnia ad credendum proposita? profecto ænigma istud intelligi nullatenus potest; igitur scriptura sacra neque continet omnia credenda in plana & obvia significatione verborum, neque ex illis, quæ continet, omnes per se certo, & infallibiliter attingere possunt omnia credenda; ac proinde accepta in obvia & plana significatione verborum non potest esse medium adæquatum ad dogmata revelata fidelibus omnibus certo & infallibiter communicanda.

Solvuntur opposita Argumenta.

Opp. 1. In 2. ad Timoth. cap. 3. v. 16. ait Paulus *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrpiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit Homo Dei ad omne opus bonum instructus*: juxta præfata Verba homo efficitur perfectus, & ad omne opus bonum instructus per scripturam: ergo scriptura in sensu obvio est medium aptum & adæquatum ad omnia dogmata revelata fidelibus certo & infallibiliter communicanda: idipsum docet aperte Christus ipse Joan. cap. 5. v, 39. dicens *scrutamini scripturas . . . . . & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*: neque enim credibile est, quod voluisset Judæos remittere ad scripturam, si ista per se non esset medium adæquatum ad cognoscendum omnia ea, quæ credenda sunt: præterea in Psal. 18. v. 9. scriptura vocatur *Præceptum illuminans oculos*, & in 2. Petri cap. 1. v. 9. *Lucerna lucens in caliginoso loco*, ergo &c.

Respond. ad primum *dist.* juxta verba Apostoli homo efficitur perfectus, & ad omne opus bonum instructus in aliquo genere, & aliquo modo *conc.* secus *nego*. Quando Apostolus in 2. ad Timoth. cap. 3. v. 16. scribit dicens *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est &c.* maxima pars librorum novi testamenti nondum erat conscripta, ut videbitur infra Sect. 2. cap. 2. proinde non respicit, nisi ad libros veteris testamenti, qui proferto neque omnes articulos fidei, neque omnia opera justitiæ expresse comprehendunt: deinde aliud est dicere, quod omnis scriptura divinitus inspirata utilis sit, ut homo Dei efficiatur perfectus, & ad omne opus bonum instructus; aliud vero, quod omnia utilia; & necessaria

ad perfectionem revera quoque scripta fuerint; primum, non autem alterum affirmat Apostolus: igitur non obstante, quod omnis scriptura utilis sit, possunt esse multa utilia & necessaria quoque, quæ scripta non fuerunt: proindeque ex illo Apostoli loco nihil aliud concludi potest, nisi istud, nempe quod scriptura sacra plura contineat, quibus homo Dei perfectus in aliquo genere, & aliquo modo ad omne opus bonum instructus efficitur, quod a nemine catholicorum negatur: siquidem fatemur expresse omnes, quod scriptura sacra sit prima, sicuti agendorum, ita etiam credendorum regula, ac norma ut supra cap. 1. dictum fuit.

Ad Alterum *dist.* Christus ipse remittit Judæos ad Scripturam relate ad articulum singularem de sua divina missione, *conc.* relate ad omnes, & singulos articulos fidei, *nego* imprimis incertum plane est, utrum verbum *scrutamini* Joan. cap. 5. v. 39. Sit indicativum, vel mandativum: nam utrumque sensum habere potest in obvia significatione, ut attendentibus patet: jam vero si accipiatur in modo indicativo, sicut illud revera accipiunt complures non solum ex catholicis, sed etiam ex hæreticis, sicuti sunt inter alios Theodorus Beza, & Camerarius, manifestum est, quod nullam plane ingerat difficultatem; tunc enim sensus erit, quod Judæi scrutarentur Scripturas, quin tamen eas intelligerent: deinde omisso, quod etiam verba illa Christi non pertineant, nisi ad scripturas veteris testamenti; eo in loco non fit sermo, nisi de una tantum singulari fidei controversia, scilicet de ista, utrum Christus esset Messias in lege promissus? quæ quæstio sane est una de principalioribus, ac præcipuis objectis nostræ fidei, & ejus generis, quæ satis clare, & ad evidentiam non semel, sed sæpius a Christo ipso

discussa jam fuerat, ita ut illam sine magno studio Pharisæi, quos ibidem Christus increpat, & reprehendit, facillime ex Prophetarum oraculis ediscere, & definire potuissent; at vero ad constituendum medium adæquatum, quo revelata omnia ad credendum proposita, fidelibus omnibus certo, & infallibiliter communicari valeant, satis non est, ut per illud innotescat unum, vel alterum dogma, sed necesse est, ut in eo omnia, & singula clare contenta habeantur, eo ferme pacto quo sicuti ut quis sit proprie, & vere Judex omnium controversiarum alicujus societatis requiritur, ut non de una, vel altera tantum, sed de omni, & quacunque controversia certo, & infallibiliter pronuntiare valeat.

Ad tertium *dist.* Scriptura est præceptum lucidum, & lucerna lucens relate ad præcepta moralia *conc.* relate ad dogmata fidei *subdist.* quantum spectat ad principalia, & ab omnibus explicite credenda *conc.* quantum spectat ad omnia, & singula indiscriminatim *nego*. Nimirum Scriptura sacra est prima regula credendi & agendi: proinde fatendum est, quod plurimæ utriusque hujus generis veritates in eadem, etiam clare, & perspicue expressæ habeantur, quin tamen inde sequatur, quod sit medinm adæquatum, quo fidelibus omnibus credenda omnia certo, & infallibiliter innotescant, ac propterea recte vocatur: *præceptum lucidum, & lucerna lucens in caliginoso loco*, primo quidem relate ad præcepta moralia; cujusmodi sunt: v. g. *Non furaberis, non falsum testimonium dices, diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum*, & alia multa, quæ in Scriptura sacra clarissime expressa inveniuntur; & secundo etiam relate ad præcipua, & principalia fidei dogmata, sicuti sunt Mysterium Trinitatis, Incarnationis, Resurre-

ctionis Christi, & alia hujus generis, quæ ab omnibus fidelibus explicite credi debent: verum exinde minime sequitur, quod omnia credenda ita clare, & dilucide in illa expressa habeantur, ut in obvia significatione verborum omnibus eluceant, ita ut satis sit scripturam consulere, ut certo innotescat, quid in unaquavis re credi, vel non credi debeat; sicut satis est in plena meridie sanos, & apertos tenere oculos, ut lucem videamus eamque discernamus a tenebris; prout Luterani contendunt.

Opp. 2. Ex S. Augustino fides, & mores vivendi numerari debent inter ea, quæ aperte in Scriptura posita sunt: ita enim inquit. S. Doctor lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 9. *In ijs quæ aperte in Scriptura posita sunt, inveniuntur ea, quæ continent fidem moresque vivendi*: Præterea illud profecto est medium adæquatum omnium credendorum, ex quo omnia, & singula fidei dogmata demonstrantur, atqui omnia & singula fidei dogmata demonstrantur ex auctoritate sacræ Scripturæ, ergo &c.

Respond. ad primum *dist.* Ex S. P. Augustino inter ea, quæ aperte in Scriptura posita sunt, numerari debent fides, & mores vivendi relative ad principales articulos *conc.* relative ad omnes *nego*. Imprimis licet multa sint in Scriptura aperte posita, & inficiari quoque absolute nequeat, quod inter ea inveniantur etiam *ea, quæ continent fidem moresquæ vivendi*, ut affirmat S. P. Augustinus in lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 9. Nihilominus universim loquendo sunt etiam multa, præsertim ex illis, quæ ad fidem pertinent, quæ nonnisi obsure in ea posita sunt, imo ex eodem S. Doctore ex his, quæ ad fidem pertinent, multa quoque sunt, quæ in ipsa plane non inveniuntur, ita enim inquit lib. 5. de Baptism. cap. 23. *Sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis bene præcepta cre-*

duntur, quamvis scripta non reperiantur: quapropter ut intelligatur, quo sensu S. P. Augustinus doceat in ijs quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniri ea, quæ continent fidem moresque vivendi; notandum hic breviter est, quod S. Doctor eo in loco, idest in 2. lib. de Doctrin. Christian. postquam cap. 8. Libros omnes recensuisset, quos Ecclesia pro Canonicis suscipit; & postquam cap. 9. dixisset: *In his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansuetos quærere voluntatem Dei*, affirmat hujus laboris primam observationem esse *nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omnino non incognitos habere*: alteram autem, *Investigare, quæ in eis aperte posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi*; ac tandem concludit quod, *ex his tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentiæ capacior*: his notatis, patet quod ex mente S. P. nostri Augustini in investigandis ijs, quæ in Scriptura aperte posita sunt, tam præceptis agendi quam regulis credendi modo plura, modo pauciora pro majori, vel minori capacitate inveniantur, non autem omnia: at vero si in aperte positis istorum librorum invenirentur singulares omnes articuli fidei, sicut inveniri deberent, si scriptura in obvia significatione verborum esset medium adæquatum ad communicandum fidelibus omnia dogmata, jam omnia quoque in ea inveniri deberent tam præcepta agendi, quam regulæ credendi, & quidem non pro majori, vel minori investigantium capacitate, modo plura modo pauciora, sed omnia ab omnibus, eo quia aperte posita pro omnibus, debent esse ejusmodi, quæ ab omnibus aperte cognosci valeant: igitur dum Sanctus doctor ibidem inquit: *In ijs quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa*,

quæ continent fidem moresque vivendi, intelligi debet de præceptis agendi, & de regulis credendi, quorum investigatio, ex modo dictis, seguitur cognitiouem sacrorum librorum, relate ad objecta fidei præcipua, & principalia, ita ut sensus sit, quod etiam ista inveniuntur in illis, quæ in Scripturis aperte posita sunt, non autem quod inveniantur omnia, ut lutherani contendunt.

Ad alterum *dist.* Ex auctoritate sacra Scripturæ demonstrantur omnia Fidei dogmata aliquo pacto, & diverso genere demonstrationis *conc.* eodem modo, & eodem genere demonstrationis *nego*. Licet verum sit, quod omnes fidei veritates aliquo pacto probentur ex auctoritate sacræ Scripturæ, neque inficiari possit, quod medium demonstrandi sit etiam medium cognoscendi, inde tamen minime sequitur, quod Scriptura sacra in sensu obvio, & in plana significatione verborum possit esse medium adæquatum, quo fidelibus omnibus certo communicari valeant omnia, & singula fidei dogmata: nam universim duplex hic distingui debet genus demonstrationis, qua ex auctoritate sacræ Scripturæ veritates fidei comprobari solent; nempe alia est demonstratio directa, alia vero indirecta: prior est, quando ex Scriptura sacra ostenduntur veritates quæ vel formaliter, & in se in illa expressæ habentur, vel exinde ex formaliter contentis per necessariam consequentiam deducuntur, sicuti sunt v. g. Christi resurrectio a mortuis, ejusque in Cœlum ascensio: item duplex in eo voluntas, & duplex operatio &c. indirecta autem demonstratio est, quando probantur veritates ita cum sacra Scriptura convenire, ut ostendatur, quod nihil plane in ea occurrat, quod alicui ex hujusmodi veritatibus contrarium sit, aut repugnans: sicuti sunt v. g. Canon sacræ Scripturæ;

perpetua Deiparæ Virginitas, & alia hujus generis, quæ ex traditione divina proxime innotescunt, & quæ propterea etiam demonstratione directa non probantur, nisi ex traditione: præterea, ut medium, ex quo veritates fidei universim aliquo modo demonstrantur, idest sacra Scriptura, posset esse medium adæquatum cognoscendi omnia, & singula fidei dogmata, necesse esset ut tam directa quam indirecta demonstratio esset fidelibus omnibus obvia, & omnium capacitati commensurata: atqui evidens est, quod excepta demonstratione illa, per quam ex sacra Scriptura probantur veritates, quæ in se, & formaliter in illa expressæ habentur, reliquæ omnes non sunt omnibus obviæ, neque omnium capacitati commensuratæ, nam neque omnes præditi sunt ea mentis capacitate, ut ipsi per se certo, & infallibiliter, vel perspiciant, & cognoscant omnes illas veritates, quæ ex formaliter revelatis in Scriptura per necessariam consequentiam, idest demonstratione directa, exinde deduci legitime possunt, vel etiam demonstratione indirecta intelligant omnia, quæ cum Scriptura ipsa ita consentiunt, ut in ea nihil inveniatur, quod illis contrarium aut repugnans esse inveniatur: ergo ex eo quod omnia fidei dogmata aliquo pacto ex auctoritate sacræ Scripturæ probantur, nihil aliud sequitur, nisi istud, quod nempe etiam Scriptura sit medium, quo fidei dogmata aliquomodo innotescunt, non tamen medium adæquatum, seu illud ex quo innotescunt omnia.

Propositio II. Scriptura sacra etiam accepta comparative ad antecedentia & consequentia, ut ajunt, non potest esse medium sufficiens, quo fideles certo cognoscant omnes & singulos articulos fidei.

Probatr Demonstratio hujus veritatis patet ex dictis: nam omnia quæ dicuntur de scriptura in pla-

na & obvia significatione verborum, verificantur quoque de illa comparative accepta: & confirmatur ulterius. Ad cognoscendum articulos fidei certo & infallibiliter, requiritur necessario etiam medium certum & infallibile, neque enim firmo judicio credi potest, quod veritas aliqua fuerit a Deo revelata, nisi per medium aliquod certum & infallibile, certo pariter & infallibiliter innotescat, quod Deus illam revera revelaverit: atqui certum esse non potest quod Deus, veritatem aliquam revera revelaverit, nisi per medium aliquod certum & infallibile, & de quo nullo modo dubitari potest, utrum forte sit errori obnoxium: ut per se patet; Jam vero medium istud certum & infallibile constitui non potest in Scriptura sacra comparative accepta ad loca antecedentia & consequentia: nam comparatio eorum quæ in sacra Scriptura antecedunt, & quæ sequuntur, secluso omni judice a scriptura diverso & distincto, non fit, neque fieri potest, nisi proprio & privato ratiocinio illorum, qui scripturam ita comparant, atqui nullius hominis privatum ratiocinium potest esse medium ita certum & infallibile, ex quo certo & infallibiliter constet veritatem aliquam supernaturalem, qualis est quilibet articulus fidei, vere divinitus revelatam fuisse, quandoquidem certissimum est, quod privatum quodlibet hominum ratiocinum sit errori obnoxium, & quod etiam ipsa ratio humana, a qua omne ratiocinium necessario dependet, in veritatibus supernaturalibus immediate & in se cognoscendis cæca sit & infirma, eo quod nullam de illis habeat, vel habere possit ideam, ut ex dictis capite 1. manifestum est: deinde si scriptura comparative accepta sufficeret ad cognoscendum omnes articulos fidei, ut contendit Hunnius, cur Psalmo 118. v. 18. David Rex petit divinæ le-

gis intelligentiam a Deo ipso dicens *revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua?* cur Christus ipse adjungens se discipulis suis euntibus in Emmaus Lucæ cap. 24. v. 27. *& incipiens a Moyse & Prophetis omnibus interpretabatur ipsis scripturas, quæ de ipso erant?* sane enim reponere non possunt Davidem Prophetam, & discipulos Christi fuisse fide destitutos, sicut reponunt de illis, quos nunc constat scripturam non intelligere; nam de Davide sine manifesta injuria simile quidquam ne cogitare quidem ullomodo potest: de discipulis autem Christi, & si tunc non omnia completæ jam redemptionis mysteria firmiter perciperent, fatebantur tamen, & suscipiebant sacram Scripturam, & credebant etiam Christum esse Messiam in lege promissum; nam propter hanc fidem secuti sunt illum; ergo si Scriptura sacra comparative accepta esset medium ad intelligendum articulos omnes fidei ex se sufficiens, jam hoc ipso facta comparatione debebant illis clare innotescere & aperta esse, quæ de Christo erant in veteri testamento Prophetarum oracula.

Neque dicant adversarij, sicuti plerique ex ipsis dicere solent, quod sacræ Scripturæ perspicuitas apparuerit tantum post promulgatum jam Evangelium, seu ut alij ajunt, post adventum Spiritus Sancti: nam si Scriptura sacra sive in plana significatione verborum, sive comparative accepta sufficit ad cognitionem omnium, quæ credenda sunt, & agenda, debebat etiam in veteri testamento clara esse, & perspicua: deinde liquet ex Scriptura ipsa, quod etiam nunc, idest evangelio jam diu promulgato, nisi aliud lumen adhibeatur, antiqua perseveret sacræ Scripturæ obscuritas; nam ut testatur Paulus in 2. ad Corinth. cap. 3. v. 15. *usque ad hodier-*

num diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum; & Petrus loquens de Epistolis Pauli in 2. sua Epistola cap. 3. v. 16. inquit *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas*, & quod præcipuum est, profecto maxima pars fidelium non est capax instituendi ut oporteret comparationem istam verborum & sententiarum sacræ Scripturæ: igitur Scriptura sacra accepta quoque comparative ad loca antecedentia & consequentia non potest esse medium sufficiens, quo fideles omnes certo & infallibiliter cognoscant omnia dogmata fidei (2).

(2) Huic opinioni de scriptura comparative accepta non absimilis, imo vero maxime conformis est altera posteriorum hæreticorum sententia, quæ tenet, quod medium adæquatum & unicum cognoscendi ex Scriptura sacra omnia fidei dogmata constitui debeat in via examinis, ac proinde non erit difficile ostendere etiam istam falsam esse ex eodem motivo, ex quo illam hic oppugnavimus: nempe nemo jure negare potest quod medium credendi debeat esse certum & infallibile, ex quo fiat, ut objecta fidei sint credentibus evidenter certa, at vero sicut per comparationem sacræ Scripturæ, ita etiam per viam examinis constitui non potest medium certum & infallibile, siquidem tam comparatio, quam examen necessario fieri debet ex privato unius cujusque usu rationis, seu criterio humanæ intelligentiæ, quod absolute fallax est, & erroribus obnoxium; huc facit, quod criterium istud a munere interpretandi sacram Scripturam manifeste excludit etiam Petrus Apostolus dum in 2. Epist. cap. 1. v. 20. inquit *hoc primum intelligentes quod omnis prophetia propria interpretatione non fit*: quod autem subjungunt defensores examinis, nempe quod assensus fidei debeat esse prudens, & rationabilis, ut ostendant illum sine præmisso examine non debere elici; istud habet aliquid verum, & aliquid falsum: nimirum verum est, quod assensus fidei debeat esse prudens, universim enim, ut legimus Ecclesiastici cap. 19. v. 4. *qui*

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. I. Actorum cap. 17. manifeste affirmatur quod Cives Beroenses in fide quotidie profecerint ex sacra Scriptura eandem comparando, nam versiculo 11. legitur de illis *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent:* Præterea comparatio antecedentium & consequentium est omnibus probata & optima interpretandæ sacræ Scsipturæ regula: eamque expresse etiam insinuare videtur S. Augustinus, dum in lib. 2. de doctr. Christ. cap. 6. inquit *nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur*: ergo est etiam medium aptissimum, quo fidelibus omnibus communicari valeant omnes articuli fidei.

Respond. ad primum *dist.* Beroenses profecerunt in fide ex comparatione sacræ Scripturæ facta judicio discussionis & relate ad unum singularem articulum quod Christus esset Messias in lege promis-

credit cito levis corde est, & minorabitur: falsum autem est, quod motivum sive ratio prudentiæ in assensu fidei constitui debeat vel in comparatione, vel in examine sacræ Scripturæ: nam ut assensus iste jure putari possit prudens, & rationabilis, elici debet ex motivo aliquo certo & infallibili, ut ab initio hujus capitis dictum fuit; quod motivum profecto nulla ratione constitui potest in Scriptura sacra, nam quamvis ipsa in se certa sit & infallibilis, attamen spectata quatenus nobis innotescit vel per comparationem antecedentium & consequentium, vel per viam examinis, non innotescit nobis per rationem, sive per motivum aliquod in se certum & infallibile, eo quia tam comparatio, quam examen necessario institui debet proprio & privato cujuslibet ratiocinio, quod absolute semper fallax est, & erroti obnoxium ut sæpe jam diximus.

sus *conc.* judicio auctoritatis & relate ad cognitionem omnium articulorum fidei *nego* . Negari non potest, quod Beroenses in fide profecerint ex comparatione sacræ Scripturæ ; erant enim *quotidie scrutantes Scripturas* ; ut expresse legitur actor. cap. 17. v. 11. sed videndum est, qua animi intentione Scripturam comparaverint, & quousque demum ex tali comparatione in fide profecerint: ut autem hæc innotescant, in primis observare juvat, quod Beroenses susceperunt jam Verbum cum omni aviditate, antequam scrutarentur Scripturas ; & quod scrutati sint Scripturas suscepto jam verbo cum omni aviditate, neque alio animo, nisi ut viderent, & certiores fierent per se ipsos *si hæc ita se haberent?* quemadmodum ipsis a Paulo annuntiabantur ; ut loco ab adversarijs citato expressis fere verbis asseritur ; igitur Beroenses comparaverunt, & examinaverunt Scripturas, non utique judicio auctoritatis, & definitionis, neque tanquam medium quo singulares fidei articolos per seipsos edliscerent, ut prætendunt hæretici, sed tantum judicio discussionis, & discretionis, & quidem præcise tanquam motivum, quo confirmarentur in verbo cum omni aviditate jam suscepto : deinde absolute loquendo, etiam in hoc verbo non fuerunt confirmati respective ad omnia credenda, ita ut per comparationem Scripturæ ab ipsis istitutam profecerint in cognitione omnium articulorum fidei , sed tantum confirmati fuerunt, & profecerunt in fide relative ad singularem illum articulum, de quo tunc agebatur, idest quod Christus esset Messias in lege promissus: nam ex toto illo capite 17. actorum nihil aliud evincitur, quam quod Paulus Beroeam a fratribus perductus, & ibi more suo Synagogam ingressus, sicut antea Thessalonicensibus, ita etiam Beroensibus, annuntiaverit fidem in

Christum, *insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere a mortuis, & quia hic est Jesus Christus*: ut legitur ibidem v. 3. & quod Beroenses, cum Apostolus ipsis fidem istam probasset ex Prophetarum oraculis, scrutati sunt illa ipsa oracula, & cum cognovissent, quod vere ita se haberent, sicut a Paulo dicta erant, factum fuerit, quod plures ex illis etiam crederent, sicut expresse asseritur vers. 12. igitur universim ex facto isto nihil aliud concludi potest, nisi quod Beroenses ex ista comparatione, judicio non auctoritativo, sed discretivo duntaxat ab ipsis instituto in fide profecerint relate ad unum tantum, non autem relate ad omnes articulos fidei: idest hoc sensu, ut firmius crederent Christum esse vere Messiam in lege promissum.

Ad alterum *dist.* Comparatio verborum, & sententiarum sive potius antecedentium, & consequentium in sacra Scriptura est omnibus probata, & optima interpretandi ejus regula ad assequendum sensum grammaticalem *conc.* ad assequendum sensum theologicum *subdisting.* aliquando, & judicio probabili *conc.* in omnibus, & judicio certo, ita ut auctoritative quisque inde elicere valeat omnes fidei articulos *nego*. Duplex quantum ad præsentem materiam spectat, hic distinqui debet tum sacræ Scripturæ sensus, tum etiam judicium, quod de utroque ex illius comparatione legitime formari potest: nempe alius est sensus grammaticalis, sive ut alij vocant, mere literalis, quem verba ipsa ut jacent præseferunt, & alius est sensus theologicus, quem Spiritus Sanctus verbis ipsis subesse voluit, cum Scriptoribus sacris, illa, quæ ab ipsis scribenda erant inspiravit, & qui propterea etiam sensus fidei appellari potest: præterea uterque iste sensus habet suas proprias difficultates, ex quibus illæ, quæ ad sensum grammaticalem pertinent,

ordinarie suam ducunt originem, vel ex natura vocabulorum, quæ sæpe tam in seipsis, quam ex illorum adjunctis obscura sunt, & æquivoca, vel ex defectu humanæ locutionis, quæ sæpe insufficiens est ad explicandum accurate atque distincte illa, quæ mente gerimus: illæ autem, quæ spectant ad sensum Theologicum non aliam habent originem, quam profunditatem mysteriorum fidei, & altitudinem scientiæ atque sapientiæ Dei, qui lucem inhabitat mentibus humanis inaccessibilem: his positis fatemur, quod regula illa hermeneutices sacræ, quæ præscribit sensum sacræ Scripturæ, ubi is obscurus fuerit, ex antecedentibus, & consequentibus, seu ut hæreticorum ore loquamur, ex comparatione, & examine verborum, & sententiarum determinari debere, optima sit, ab omnibus probata, & quod utiliter adhiberi valeat ad eruendum ex sacra Scriptura, non tantum probabili, sed etiam certo judicio sensum grammaticalem, idest ad tollendas illas difficultates, quæ vel ex natura, & adjunctis vocabulorum, vel ex defectu humanæ elocutionis originem ducunt; imo fatemur etiam quod eadem regula utiliter quoque adhibeatur ad assequendum sensum Theologicum in omnibus illis, quæ vel explicite, & formaliter, vel etiam implicite, & virtualiter in sacra Scriptura continentur, attamen judicio tantum probabili, non autem certo, & infallibili, quod ad assensum fidei divinæ omnino requiri, sæpe jam dictum est: nam sensus theologicus certus, & infallibilis non dependet ab intelligentia hominum, vel ab humanæ mentis acumine, neque ullo modo subjicitur regulis hermeneuticæ, sed dependet unice ab auctore proprio sacræ Scripturæ, idest a Spiritu Sancto: ut testatur Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 2. ver. IV. dicens: *quis enim scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus*

hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Igitur ut omittamus, quod non omnia fidei dogmata in Scriiptura contineantur, ut sequenti sectione ostendemus, comparatio sacræ Scripturæ, sive potius Scriptura sacra comparative accepta non potest esse medium sufficiens, quo fideles omnes perveniant per se ad certam, & infallibilem cognitionem omnium articulorum fidei.

Ad ultimum *dist. pariter* Ex S. Patre Augustino nihil ex Scriptura obscurum eruitur, quod alibi non est planissime dictum relative ad sensum grammaticalem *conc.* secus *nego*. Nullam plane ingerit difficultatem auctoritas S. P. Augustini desumpta ex lib. 2. de doctr. Christ. cap. 6. neque ullum addit robur hæreticis ad probandum, quod Scriptura comparative accepta sit medium sufficiens certo cognoscendi omnia fidei dogmata, nam primo verba illa, *nihil fere de illis obscuritatibus eruitur. quod non planissime dictum alibi reperiatur* non sunt absoluta, & de omni obscuritate, ut patet ex inserta particula *fere*: deinde pertactant manifeste de obscuritatibus, quæ occnrrunt in sensu litterali, non autem de illis, quæ occurrunt in sensu theologico: siquidem capite sequenti, cujus initium cum verbis adductis immediate cohæret, subjungit dicens: *sed opus est cogitare potius & credere id esse melius & verius, quod ibi scriptum est, etiamsi lateat, quam id, quod nos per nosmetipsos sapere possumus*. Profecto enim si omnia, quæ alicubi obscura sunt, alibi planissime dicta reperiuntur, etiam illa, quæ credenda sunt, aut nihil omnino, quod ad fidem pertinet, latebit, aut saltem non ita, ut ipsum per nosmetipsos sapere non possimus: ac proinde nulla plane esset ratio, cur oporteret credere potius,

quod scriptum est, etiamsi occultum sit, seu lateat, quam non credere, ut hic supponit S. Pater.

Propositio III. Spiritus privatus non potest esse medium aptum, quo fideles omnes in intelligenda Scriptura sacra perveniant ad cognitionem certam omnium articulorum fidei.

Probatur Per Spiritum privatum vel intelligitur privata cujuslibet ratiocinatio, sicut vulgo accipitur in scholis, vel arcanum *Spiritus Sancti testimonium*, prout statuit Calvinus lib. 1. Instit. cap. 7. §. 4. atqui neuter iste Spiritus potest esse medium aptum, quo fideles omnes dirigantur & perveniant in intelligenda sacra Scriptura ad cognitionem certam omnium articulorum fidei : non primus ; nam humana ratiocinatio, sicuti est absolute fallax, & errori obnoxia, ut sæpe jam dictum est, ita etiam sibi ipsi relicta est omnino insufficiens ad cognoscendum immediate fidei nostræ mysteria, ut superiori capite ostendimus : præterea in hypothesi, quod privata cujuslibet ratiocinatio esset medium aptum, ut per se exinde quisque percipere possit omnes & singulos articulos fidei, jam nullum erit dogma adeo absurdum, quod tanquam divinitus revelatum, atque ad fidem pertinens propugnari non possit : nam in hac hypothesi posset unusquisque in intelligenda Scriptura jure suo uti, atque auctoritate suæ ratiocinationis, quæ diversa semper formatur, prout diversa sunt capita, & diversi sensus diversorum hominum, comminisci in materia fidei, quæ sibi comminiscenda sua propria suaderet ratio, atque ita sub spiritus istius privati auctoritate quoslibet pessimos errores suggerere: neque ullatenus abhorret a veritate, quod nulla alia de causa errores & hæreses in Ecclesia enatæ sunt, nisi quia auctores illarum ex proprio Spiritu Scripturam sacram interpre-

tari tentarunt ; ut aperte testatur S. P. Augustinus tract. 18. in Joan. dicens : *Neque enim natæ sunt hæreses , & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas , & in profundum præcipitantia , nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene .* Ergo humana ratiocinatio non potest esse medium aptum , quo fideles omnes in intelligenda sacra Scriptura perveniant ad cognitionem certam omnium articulorum fidei : sed neque vicem hujus medij supplere potest arcanum Spiritus Sancti privatum testimonium : nam primo fictitia plane est , atque ad libitum conficta ista singulis fidelibus in intelligenda sacra Scriptura Spiritus Sancti privata assistentia , ut Calvinistæ ipsi fateri coguntur : siquidem ex ipsorum mente aliquando internum Spiritus Sancti lumen denegatur toti visibili Ecclesiæ , & universo cætui Pastorum illius , ergo a fortiori concedendum est illud sæpius denegari singularibus , & privatis fidelibus : deinde si unusquisque fidelium gloriari potest de interna Spiritus Sancti assistentia in intelligenda Scriptura sacra, jam nullum supererit medium , quo in materia fidei, error discernatur a veritate , & vicissim veritas ab errore , nam , ut rem exemplo explicemus , si lutheranus quisquam in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ simul cum pane , & vino contenderet contineri realiter etiam corpus , & sanguinem Christi , & affirmaret , quod ab interiori Spiritus Sancti testimonio privatim edoctus fuerit , quod verba illa Christi Math: cap. 26. *Hoc est corpus meum , & hic est enim sanguis meus* , accipi debeant de præsentia reali in sensu modo allato , sicuti illa accipiunt fere communiter lutherani omnes, ac propterea falsam esse , & erroneam opinionem Calvinistarum , qui docent panem , & vinum consecratum illis verbis , non esse nisi purum Symbolum ,

& figuram corporis Christi; quis tunc inter illos Judex consurget, & causam definiet? & quale medium adhibebitur, ut veritas discernatur? non utique Scriptura sacra, nam absurdum plane est idem per idem explicare; neque Ecclesia, nam hujus, auctoritatem spernunt utrique; sed neque Spiritus ipse privatus; siquidem Spiritui privato Calvinistarum poterit Lutheranus iste semper opponere suum proprium Spiritum, eandemque ex illo pro se consciscere auctoritatem, quam exinde Calvinistæ consciscunt sibi. Præterea sunt profecto plurimi qui sæpe turpiter errant in intelligenda Scriptura in materia fidei, etiam inter Christiani nominis professores, qui propterea certissime imbuti non sunt divino Spiritu: sunt etiam, qui se existimant instinctu hujus Spiritus revera plenos esse, nempe Quacheri seu tremulantes omnes, qui tamen, & verbis, & operibus non raro sibi invicem contraria docent, & operantur: ergo nisi per summum nefas dicere velimus Spiritum Sanctum esse Spiritum erroris, & contradictionis, necesse est, ut fateamur Spiritum privatum in intelligenda Scriptura sacra non posse esse medium aptum, quo fideles omnes perveniant ad certam cognitionem omnium articulorum fidei.

Dictum est fideles omnes: nam loquimur hic de medio solemni, & omnium communi: neque inficiari potest singularibus subinde hominibus concedi speciales, & internas Spiritus Sancti illustrationes, quibus vel vocantur ad fidem, vel etiam magis in illa confirmantur: quemadmodum exemplum vocationis divi Pauli Apostoli, & aliorum virorum miræ sanctitatis evidenter evincunt (3).

(3) Sic de Sancto Ignatio legimus in Breviarijs Ecclesiasticis, quod cum esset homo literarum plane rudis, insignes

Solvuntur opposita Argumenta.

Opp. I. Non semel, sed sæpe in libris, veteris testamenti promittitur, quod Deus in nova lege fideles suos docturus sit per seipsum: sic Isaiæ cap. 54. v. 13. habetur: *Ponam universos filios tuos doctos a domino*, & Jerem. cap. 31. vers. 33. & seqq. *Post dies illos dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens, cognosce dominum: omnes enim cognoscent me a minimo usque ād maximum*: at vero intelligi non potest, quomodo Deus doceat fideles per seipsum, nisi privata Spiritus Sancti inspiratione, & assistentia: ergo &c.

Respond. dist. In libris veteris testamenti sæpe promittitur, quod Deus docturus sit fideles suos in nova lege per seipsum subministrando illis interius auxilium gratiæ, & docendo eos non amplius ore Prophetarum, sed ore proprij filij sui *conc.* docendo eos

habuerit Spiritus Sancti illustrationes; ita ut de se testatus sit, *si sacræ literæ non extarent, se tamen pro fide mori paratum ex ijs solum, quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus*: verum hujusmodi illustrationes, sive potius privatæ revelationes Spiritus Sancti, licet quandoque sufficiant ad veram fidem: nam Deo credendum est, sive privatim, sive publice nos doceat: absolute tamen non obligant, nisi illos, quibus factæ sunt: & Ecclesia non approbat privatas istas Sanctorum virorum atque mulierem revelationes, ut ijsdem assentiamur certitudine fidei, quæ revelationi publicæ solum præstari debet, sed tantum, ut eas recipiamus tanquam probabiles, & ex illis ad veram pietatem erga Deum & sanctos ejus utiliter promoveamur.

interno, & privato Spiritu, quo fiat, ut per se omnia credenda ex Scriptura sacra percipiant; *nego*. Utique Isaias cap. 54. v. 13. dicens: *ponam universos filios tuos doctos a domino*, prænuntiat novum populum, qui in lege evangelica a Deo ipso instituendus erat; & cum eo etiam Jeremias cap. 31. v. 33. dum inquit: *Post dies illos dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum*. Sed ut cognoscatur quæ nam sint prærogativæ, quibus populus iste gaudere debebat, & in specie, quomodo a Deo ipso docendus erat, præmittendum hic est, quod ex Patrum, & Theologorum sententia tria sint præcipua inter veterem, & novam legem discrimina: nempe *primo* lex vetus erat in tabulis lapideis scripta, nova autem in cordibus hominum: *ibi* inquit S. P. Augustinus in lib. de Spirit. & Liter. cap. 17. num. 29. *In tabulis lapideis digitus Dei operatus est; hic in cordibus hominum: ibi ergo extrinsecus posita erat, qua justi terrerentur, hic intrinsecus data est, qua justificarentur*. *Secundo*. Lex vetus in servitutem generans retrahebat a peccato timore pœnæ; nova autem in libertatem filiorum generans, inclinat ad faciendum bonum amore justitiæ: ut innuit Apostolus ad Rom. cap. 8. v. 15. dicens: *non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum*: sive ut in lib. contra Adimantum cap. 17. num. 2. exponit S. P. Augustsnus, dum inquit: *Hæc est brevissima, & apertissima differentia duorum testamentorum timor, & amor*. *Tertio*. Lex vetus dicitur *lex jubens per literam*,

& non dans gratiam, ut ait S. P. Augustinus serm. 155. num. 7. sive ut inquit Bellarminus lib. 4. de justific. cap. 4. *Lex vetus venit sola*, *Evangelium non solum*, *sed cum gratia*. Nam ut prosequitur ibidem insignis iste Theologus: *Qui legem in monte Sina per Moysem acceperunt*, *doctrinam tantum acceperunt*: *qui vero per Christum evangelium acceperunt*, *non solum doctrinam*, *sed etiam gratiam acceperunt*. His præmissis, facile intelligitur, quomodo abrogata lege Moysis, quæ habebat *umbram futurorum bonorum*, *non ipsam imaginem rerum*, ex Apostolo ad Hebræos caput 10. vers. 1. in lege evangelica fideles doceantur immediate a domino, sine eo ut necesse sit confugere cum Calvino ad fictitium, & arcanum Spiritus Sancti testimonium: nempe in hac lege docentur fideles immediate a Deo ipso, primo, quia cum non sint sub lege, sed sub gratia ex Apostolo ad Rom. cap. 6. v. 14. dicente: *non enim sub lege estis*, *sed sub gratia*, non solum docentur exterius, sed adjuvantur etiam interiori gratia, ut recte operentur, sive quia, ut ajebat idem Apostolus in loco citato cap. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, *qui datus est nobis*: cujus ope sicut recte credimus, ita etiam recte operamur: & secundo, quia in lege evangelica Deus locutus est non amplius ore Prophetarum, sicut in lege veteri, sed ore proprij filij sui, *per quem omnia nobis donavit*, ad Rom. cap. 8. v. 32. idest gratiam, & gloriam; sicut prænuntiavit regius vates psal. 83. v. 12. dicens: *Gratiam*, *& gloriam dabit dominus*: de qua re inquit iterum Apostolus ad Hebr. cap. 1. v. 1. *Multifariam*, *multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissime diebus istis locutus est nobis in filio*, *quem constituit hæ-*

redem universorum, *per quem fecit*, *& sæcula*.

Opp. 2. S. Joannes in Epist. 1. cap. 2. v. 20. inquit *Sed vos unctionem habetis a Sancto*, & vers. 27. subjungit, *& non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus*, juxta præfata verba fideles habent unctionem a Sancto, qua de omnibus docentur, at vero per unctionem a Sancto intelligi non potest, nisi interior Spiritus Sancti operatio: ergo &c. præterea Spiritum istum promittit etiam Christus ipse, dum Lucæ cap. 11. v. 13. inquit ad discipulos suos: *Pater vester de Cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se*, ergo in nova lege fideles docentur immediate a Spiritu Sancto.

Respond. ad primum *dist.* Fideles habent unctionem a Spiritu Sancto, qua de omnibus docentur, idest habent adjutorium gratiæ, quo interius illustrati, & adjuti ea, quæ ad salutem necessaria sunt, non solum utiliter cognoscunt, sed adjuvantur etiam, ut eadem opere compleant *conc.* habent Spiritum privatum, quo fidei articulos per seipsos immediate ex Scriptura certo, & infallibiliter percipiant *nego*: Quamvis nomine unctionis, de qua Sanctus Joannes in sua prima Epistola cap. 2. v. 20. affirmat, quod fideles illam habeant a Sancto, & de qua ibidem vers. 24. exoptat, ut in illis permaneat dicens: *Quod audistis ab initio in vobis permaneat*, & iterum vers. 27. *Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis*: quamvis inquam nomine unctionis intelligi debeat interior Spiritus Sancti operatio, frustra tamen a Calvinistis detorquetur ad significandum arcanum Spiritus Sancti testimonium, quo fidelibus in intelligenda Scriptura certo, & infallibiliter innotescunt illa omnia, quæ ad credendum divinitus revelata fuerunt: universim enim S. Joannes

eo in loco loquitur de fide in filium, de qua vers. 23. inquit: *Qui confitetur filium, & Patrem habet*, & de illa subjungit ibidem vers. 24. dicens: *si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, & vos in filio, & Patre manebitis*: ubi manifeste docet, quod fidem istam perceperint primum fideles per *auditum*, inquit enim *quod audistis*: ac proinde nomine unctionis, quam fideles habent a Sancto, & quæ illos docet de omnibus, intelligi debet illa Spiritus Sancti operatio, sive donum illud interius, quo mens justorum a Spiritu Sancto illustrata, & adjuta firmiter perseverat in cognitione, & fide in Christum, idest unctio ista accipi debet de superno gratiæ auxilio, quo fit ut justi in fide roborati ea quæ sunt de necessitate salutis fideliter exequuntur; unde S. P. Augustinus Tract. 3. in eandem Epistolam explicans verba Joannis inquit: *quantum ad me pertinet omnibus locutus sum: sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus Sanctus intus non docet, indocti redeunt; magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt, & admonitiones; cathedram in Cælo habet, qui corda docet.*

Ad alterum *dist.* Christus promittit discipulis suis Spiritum bonum, idest donum Spiritus *conc.* idest personam a qua interius doceantur in intelligenda Scriptura sacra *nego*. Nomine Spiritus in sacris litteris non semper intelligitur persona, sed sæpe solum donum Spiritus Sancti, ut in 1. ad Thesal. cap. 5. v. 19. *Spiritum, nolite extinguere*: quibus dona Spiritus Sancti tantum significari mox infra ostendemus: item munus Spiritus Sancti, ut ad Rom. cap. 8. v. 26. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quæ dicta sunt: *quia gemitibus sanctorum desideriorum interpellare sanctos facit, quibus affectum pium gratiæ spiritualis infundit*:

ut inquit S. P. Augustinus lib. 1. contr. Maximinum cap. 9. ac tandem tam munus, quam personam simul: ut ad Rom. cap. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: quæ omnia breviter complexus est S. Bernardus serm. 3. in Pentec. ante finem dicens: *Spiritus Sanctus multiplex dicitur, quia multipliciter filijs hominum inspiratur: siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem*. Porro licet Christus per Spiritum bonum, quem discipulis suis a Patre dandum promittit Lucæ cap. 11. v. 13. innuere videatur, etiam personam Spiritus Sancti, qui discipulis suis maximopere necessarius erat, ut officia ministerij sui recte explere possent, directe tamen non innuit, nisi dona Spiritus, idest, ut interpretatur Augustinus Calmet, *mentem animumque bene institutum*: nam ibidem docet discipulos suos, non quomodo debeant intelligere Scripturam ad percipiendum exinde dogmata fidei, sed quomodo debeant orare, & petere a Deo, quæ sibi ad salutem æternam necessaria erant; ut patet et initio ejusdem capitis, ubi illam precandi formulam præscribit, quam *Pater noster* vocamus: ac proinde promittit illis auxilium gratiæ, sive Spiritum bonum mediante quo, & orare possent, sicut oportet, & cætera peragere; quæ ad propriam ipsorum salutem pertinebant; non autem Spiritum privatum, quo doceantur in intelligenda Scriptura in ordine ad ediscendum exinde dogmata fidei.

Opp. 3. Paulus in 1. ad Thessal. cap. 5. v. 19. dirigens sermonem ad omnes fideles inquit: *Spiritum nolite extinguere*, ergo omnes fideles habent assistentem sibi Spiritum, quo fidei dogmata possint per se discernere: idipsum confirmat idem Apostolus, dum

in 1. ad Corinth. cap. 2. v. 14. ait: *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, spiritualis autem judicat omnia*. Nam si Spiritualis omnia judicat, potest profecto judicare etiam de illis, quæ credenda sunt, ac proinde fideles habent semper assistentem sibi Spiritum Sanctum, ope cujus certo, & infallibiliter ex Scriptura sacra percipere possint omnia, & singula fidei dogmata.

Respond. ad primum *nego con.* Licet enim aliquo sensu verum sit, quod verba Pauli in 1. ad Thessal. cap. 5. v. 19. scilicet: *Spiritum nolite extinguere*, intelligi possint spectare ad omnes fideles: non videtur tamen, quomodo inde concludi possit omnes fideles habere assistentem sibi Spiritum, quo per se discernere possint omnia dogmata fidei: nam ut supra dictum fuit, nomen Spiritus non significat semper personam, sed sæpe etiam dona Spiritus Sancti, e quibus alia dicuntur gratis data, alia vero quæ gratos faciunt (4), prioris generis sunt genera

(4) Notissima est ista in scholis divinæ gratiæ divisio, qua alia *gratis data*, & alia *gratum faciens* vocatur: quod tamen ita accipi debet, non quod *gratum faciens* non sit gratis data, universim enim, ut inquit Apostolus ad Rom. cap. 11. v. 6. *si gratia jam non ex operibus, alioquin jam non est gratia*: sed quia illa, cum gratis a Deo conferatur, gratis pariter in aliorum salutem impendi debet ex præcepto Christi Math. cap. 10. v. 8. dicentis *gratis accepistis gratis date*: porro autem gratiæ *gratis datæ* novem recensentur ab Apostolo in 1. ad Corinth. cap. 12. v. 8. & seq. ubi ait *alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu; alij gratia sanitatum in uno Spiritu; alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio Spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.*: Ex quibus etiam istud intelligitur, quod non secus gratia *gratis data*, quam *gratum faciens* sit donum Spiritus Sancti, cum hoc tantum

linguarum, donum Prophetiæ, & donum miraculorum &c., quæ scilicet non ad propriam, sed ad aliorum utilitatem divinitus conferuntur: alterius vero generis sunt tam gratia actualis, quam habitualis seu sanctificans &c., quæ scilicet cedunt in bonum illorum, quibus conferuntur: Quod autem Apostolus dum Thessalonicenses admonet, dicens: *Spiritum nolite extinguere*, nomine Spiritus intelligere minime voluerit personam, sed tantum dona Spiritus Sancti, patet manifestissime: nam ibidem imme-

discrimine quod *gratia gratis data*, ut dictum in responsione, primario conferatur a Deo ad promovendam aliorum salutem & *gratum faciens* ad promovendam salutem propriam illius, cui confertur: & generatim *gratiæ gratis* datæ possunt subinde reperiri etiam in impijs hominibus, ut patet de *Balaam* & Caipha, qui uterque, quamvis scelestis & impius, prophetavit: ille Numeror. capit. 23. iste autem Joann. cap. 13. his notatis gratia *gratum faciens* de qua proprie agunt theologi, est donum supernaturale gratis a Deo concessum in ordine ad obtinendam & promovendam vitam æternam: dicitur autem donum supernaturale, ut distinguatur a donis, quæ naturam creati hominis & angelorum consequuntur, quæ pariter gratis conferuntur omnibus; quoniam nemo antequam crearetur, promereri potuit, ut esset, vel ut esset vivens, ratione præditus, ingenio pollens &c & dividitur communiter in *gratiam conditoris*, & *gratiam Salvatoris*: Prima est donum supernaturale primo homini, & angelis in statu innocentiæ ad perseverandum in originali justitia gratuito divinitus collatum: *si enim*, ut inquit S. P. Augustinus in cap. 11. de corrept. & gratia, quem librum Norisius noster *aureum* appellat, & *clavem*, qua universæ doctrinæ Augustinianæ secretum reseratur, *vel angelo vel homini hoc adjutorium defuisset*, sunt verba S. P. Augustini, *cum primum facti sunt quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent*. Altera autem, quæ etiam simpliciter *gratia Christi* appellatur, est donum supernaturale intuitu meritorum Christi ho-

diate post verba allata subjungit, ***Prophetias nolite spernere, omnia autem probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.*** Quæ profecto nullam plane relationem habent cum intellectu, quatenus iste interius a Spiritu Sancto illustratus apprehendit ea, quæ credenda sunt, sed potius cum voluntate, quæ adjuta ab eodem Spiritu bona approbat, & mala refugit; ac proinde nulla prorsus ratione ex allato Pauli testimonio merito inferri potest, quod fideles semper habeant interius

mini lapso gratis a Deo collatum in ordine ad operandum suam æternam salutem: Prima vocatur in scholis nostris auxilium *sine quo non*, & dabat posse perseverare in accepta justitia; altera autem vocatur auxillum *quo*, eo quia dat ipsum velle & operari: sicuti explicat S. Pater Augustinus loco citato dicens *Prima est qua fit, ut homo habeat justitiam si velit: secunda autem plus potest, qua etiam fit, ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*: Jam vero gratia ista dividitur in *actualem* & *habitualem*. Gratia *actualis* secundum divi Thomæ discipulos consistit in activa qualitate quadam animæ impressa; & secundum neutericos complures est ipsa Dei voluntas & misericordia nobis intime præsens & salutares in nobis. operans effectus, atque ex nostro Laurentio Berti est motio supernaturalis, qua mens cœlesti lumine illustratur & voluntas inspiratione sanctæ dilectionis ad bonum excitatur: *Habitualis* autem quæ etiam gratia *sanctificans* vel *justificans* vocari solet, est donum supernaturale animæ inhærens, quo formaliter justificamur, & in filios Dei adoptivos atque hæredes æternæ felicitatis sublevamur per Spiritum Sanctum inhabitantem in cordibus nostris: rursus gratia actualis dividitur in *prævenientem* & *subsequentem*: gratia *præveniens*, quæ etiam *excitans*, & *operans* appellatur est, quæ prævenit quemcunque bonæ voluntatis motum: *subsequens* vero quæ etiam *adjuvans* & cooperans vocatur, est illa, quæ primum illum bonæ voluntatis motum a gratia præveniente excitatum subsequitur, seu illa, cujus ope vo-

sibi assistentem Spiritum Sanctum, ope cujus certo, & infallibiliter ex Scriptura sacra percipere possint omnia, & singula fidei dogmata.

Ad alterum *dist.* Spiritualis homo judicat omnia judicio approbationis, sive discretionis *conc.* judicio auctoritatis sive definitionis *nego*. Imprimis Paulus in 1. ad Corinth. cap. 2. distinguit duplex fidelium genus, unum eorum, quos Spirituales nominat, alterum autem illorum, quos vocat animales: illos porro, quos Spirituales nominavit, indicat in eodem

luntas in bono proposito firmatur, ut illud actu perficiat: de priori legitur in psal. 58. v. 11. *misericordia ejus præveniet me*: de altera autem in Psal. 22. v. 6. *misericordia ejus subsequetur me* & utramque postulat Ecclesia in collecta dominicæ VI. post Pentecostem his verbis *Tua nos quæsumus Domine gratia semper præveniat & sequatur*: porro autem gratia *præveniens* dicitur primo *excitans*, quia hominem nihil boni cogitantem per immissionem sanctæ cogitationis & pij desiderij ad bonum aliquod opus excitat: & secundo *operans*, quia sine nobis volentibus bonæ voluntatis affectum piumque desiderium inspirat: deinde gratia *subsequens* vocatur primo etiam *adjuvans*, quia dum bonum aliquem effectum volumus, nos adjuvat ad illum firmiter volendum: & secundo *cooperans* quia ad eundem effectum opere complendum nobiscum cooperatur, atque ideo ab alijs consuevit etiam *concomitans* appellari: quæ omnia complectitur S. P. Augustinus in lib. de libero arbitrio & gratia cap. 17. dicens *ut ergo velimus sine nobis operatur*: *cum autem volumus et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus ad bona pietatis opera nihil valemus*. Præterea celeberrima plane est in scholis divisio gratiæ actualis, qua alia dicitur *gratia sufficiens* alia vero *gratia efficax*: & utraque a diversis theologis diversimode etiam definitur: nam primo quod spectat ad gratiam sufficientem Molinistæ docent illam esse donum supernaturale, quo datur voluntati posse agere ita expeditum, ut suis viribus in actum etiam prodire valeat si-

capite sub nomine perfectorum, de quibus vers. 6. jam dixerat: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam autem non hujus mundi*: & animales comparat paulo postea cap. 3. v. 1. cum carnalibus, de quibus inquit: *Et ego fratres non potui vobis loqui quasi Spiritualibus, sed quasi carnalibus tamquam parvulis in Cristo lac vobis potum dedi non escam: nondum enim peteratis*: & postea vers. 2. subjungit: *sed nec potestis; adhuc enim carnales estis: cum enim sint inter vos zelus, &*

ne alio supernaturali adjutorio: econtra vero Nostrates, & divi Thomæ discipuli omnes ajunt eandem esse quidem donum supuraaturale, quo tribuitur voluntati posse agere, sed ita, ut ad actum requirant aliam gratiam efficientem, ac propterea vocant illam adjutorium *possibilitatis* non autem operationis, & docent unanimiter vocabulum istud *sufficiens* accipi debere theologice, non vero grammaticaliter: sicuti explicat Franciscus Zumel in disput. 15. sect. 1. Conclus. 4. dicens *Quod auxilium sane non dicitur sufficiens, ut nomen grammaticaliter sonat, quasi seipso et omni alio repulso non solum habeat vim agendi et operandi, sed eam exerceat: nam id videtur terminus ille sufficiens importare grammaticaliter, sed solum sufficiens theologice, quia dat homini, ut possit agere, tribuitque ei vim ad volendum, sed non complete omnino, quia est necessaria gratia efficax intrinsece, et determinans voluntatem permodum actus primi, et tunc homo est complete potens*: proinde hoc sensu accepta gratia sufficiens definiri poterit quod sit interius Spiritus Sancti donum, quo voluntati tribuitur vera potentia agendi, cui tamen voluntas humana resistit: atque hic propterea breviter notandum est, quod in scholis nostris ad bene operandum distingui jam solet duplex potentia nimirum *proxima* & *remota*, ut nihil dicamus de potentia *remotissima*, quæ nihil aliud est, quam physica & naturalis agendi vel non agendi potestas ipsi libero arbitrio necessario inhærens; *Potentia proxima* est quando nulla alia requiritur gratia, ut voluntas prodeat in actum: *remota* autem, quando ad operandum opus

contentio nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? igitur quando cap. 2. v. 13. & 14. inter utrosque hoc ponit discrimen, quia *animalis homo nan percipit ea, quæ sunt Spiritus: spiritualis autem judicat omnia, & ipse a nemine judicatur:* nihil aliud innuit, quam quod homo animalis, qui secundum hominem ambulat, seu qui mente atque affectu adhuc infirmus, & terrena tantum, atque carnalia sapit, nondum idoneus est ad percipiendum altiora mysteria Dei, seu sapientiam,

est vividioris gratiæ divinæ adjutorium: deinde quod spectat ad gratiam efficacem, consentiunt omnes, quod sit illa, quæ cum effectu semper conjungitur, seu quæ dat ipsum velle, & perficere pro bona voluntate: consentiunt etiam quod gratia ista efficax in statu infirmitatis, quo nascimur, necessaria sit ad operandum bonum: dixi in statu infirmitatis, nam D. Thomæ discipuli requirunt illam etiam in statu naturæ integræ & innocentis: maxima vero deinceps est dissensio inter theologos, utrum dicenda sit efficax ab intrinseco & ex natura sua? an vero ab extrinseco tantum atque a consensu voluntatis? sicuti etiam cum quæritur quo titulo requiratur ejus necessitas? sic quantum ad primum Ludovicus Molina, a quo *Molinistæ* suam habent originem, in celebri Tractatu, quem *Concordiam* inscripsit, & quem Ulyssipone anno 1588. typis vulgavit, docet gratiam reddi efficacem ab arbitrij consensu, & a determinatione humanæ voluntatis, & Franciscus Suaresius, a quo suum nomen sortiuntur *congruistæ* asseruit efficaciam gratiæ repeti debere a congruis circumstantijs, scilicet ex eo, quod Deus gratiam suam conferat in talibus circumstantijs, in quibus prævidet per scientiam mediam humanum arbitrium consensurum fore: ac tandem divi Thomæ discipuli omnes propugnant nobiscum eandem efficacem esse ex intrinsecis suis, ita ut non nostrum arbitrium, sed Deus ipse operetur in nobis posse, velle, & perficere, libere tamen semper nobis cooperantibus, cum hoc tamen discrimine, quod illi eandem exponunt per physicam præmotionem, & necessariam esse existimant in quo-

quam ipse prædicabat inter perfectos: contra autem spiritualis, & perfectus, idest qui in lege Dei circa illa quæ ad salutem necessaria sunt, jam est sufficienter instructus, non utique a Spiritu privato, ut Calvinistæ frustra supponunt, sed ministerio apostolico, sicut spiritualia, &. quæ ad Deum pertinent, ita etiam terrena, idest tam supernaturalia, quam naturalia omnia judicio suo discernit, non

vis hominum statu, præterquam in statu naturæ puræ, quem complures ex illis possibilem esse affirmaut, & quidem titulo essentialis dependentiæ causarum secundarum a prima, & snpremi istius in illas dominij; nos vero edocti a S. P. Augustino lib. 4. contr. duas Epist. Pelagian. cap. 5. & alibi passim, gratiam istam nihil aliud esse quam *inspirationem dilectionis ut cognita sancto amore faciamus*, exponimus illam præcipue per victricem delectationem superiorem ad contrariam concupiscentiam, ex qua fit, *ut tanto quidque vehementius volumus, quanto certius, quod bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius*: ut ait idem S. Doctor in lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. atque admisso supremo Dei dominio & causarum secundarum essentiali dependentia, edocti ex dominica sententia Lucae cap. 5. v. 31. *non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent*, repetimus Gratiae istius necessitatem in hoc tantum infirmitatis statu, in quo nunc nascimur, ex titulo infirmitatis, in quam occasione peccati primorum Parentum prolapsi sumus, & qua fit, ut justi *etsi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent*, ut affirmat S. P. Augustinus de Corrept. & grat. cap. 11. ex quibus etiam consequitur, quod gratia ista sit medicinalis, & sanans: ac propterea etiam non est eadem in omnibus, sed habet gradus suos: nec immerito; nam ut infirmitas est major aut minor, ita majoris aut minoris efficaciae postulat adjutorium; & sicut concupiscentiae motus non sunt semper ejusdem rationis, sed varij; ita nec ejusdem rationis, sed varij sunt motus gratiae, quae nobis a Deo confertur, in remedium infirmitatis, & ad concupiscentiae contrariae motus fraenandos & cohibendos.

tamen judicio auctoritatis, & definitionis, quasi illa per seipsum didicerit, sed tantum judicio approbationis, & discussionis, quatenus illa non per seipsum, sed ex prædicatione Apostolorum primum edoctus fuit, ac proinde in hoc eodem sensu subjungit ibidem Apostolus dicens, *ipse autem a nemine judicatur*: quibus significat, quod Spiritualis, & perfectus a nemine jure reprehenditur; quia scilicet Spiritus Sancti gratia adjutus, sicut in lege Dei perfecte instructus est, ita etiam eandem perfecte sua sponte exequitur.

Propositio IV. Medium aptum, & adæquatum, per quod fidelibus omnibus certo innotescunt tam sacra Scriptura, quam reliqui omnes fidei articuli est auctoritas Ecclesiæ proponens aliquid ad credendum.

Probatur. Ad constituendum medium aptum, & adæquatum per quod fidelibus omnibus certo innotescant tam scriptura sacra, quam reliqui omnes articuli fidei, quatuor requiruntur: nempe *primum*, ut a Christo ipso, qui solus est auctor nostræ fidei, institutum & determinatum fuerit: *Secundo*, ut sit ita notum omnibus, ut nemo plane ignorare possit illius existentiam: *Tertio* autem ut capacitati omnium fidelium proportionatum, & commensuratum fuerit: ac tandem *quarto* ut sit aptum ad tribuendam fidelibus omnibus certitudinem maximam de omnibus & singulis objectis fidei (5): atqui omnes istæ conditiones

(5) Quod quatuor memoratae conditiones omnino necessariae sint ad constituendum medium adaequatum & aptum, ut fidelibus omnibus certo & infallibiliter communicari valeant omnes & singuli articuli fidei, manifestissimum est: nam primo cum Christus novam legem instituerit ad salutem necessariam, necesse profecto fuit, ut etiam medium aliquod institueret, quo lex ista certo & sine erroris periculo innotesceret: deinde cum neminem prorsus a via salutis excluserit,

inveniuntur manifeste in auctoritat Ecclesiæ proponentis aliquid ad credendum : nam *primo*. Quod Christus ipse auctoritatem istam expresse constituerit, ut ea mediante fideles pervenirent ad cognitionem omnium illorum, quæ fide credenda sunt, patet; nam Math. cap. 23. v. 3. ait ad discipulos suos *super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo, quæcumque dixerint vobis servate & facite*: profeco autem quæ alia ratio esse potest, cur Dominus ita asseveranter & sollicite jubet discipulis suis, ut servarent, & facerent, quæcunque dicturi essent sedentes super cathedram Moysis, seu super cathedram veritatis, ut interpretantur Patres, Scribæ & Pharisæi, genus hominum, quos ibidem vers. 27. comparat *sepulchris dealbatis*? nisi quia voluit, ut sicut in veteri lege, non scriptura, non privatus Spiritus, sed Sacerdotes indicare debebant *judicii veritatem* Deuteron. cap. 17. v. 9., ita etiam in lege nova, quam ipse constituit, & acquisivit sanguine suo, Ecclesia docere deberet omnia servanda & facienda, sive quæ credenda & agenda ipse præscripsit : idest ut esset medium certum, quo fidelibus omnibus tam scriptura sacra, quam dogmata fidei universim innotescerent? idipsum evincitur ex Epist. ad Ephes. cap. 4. v. 11. & seq. ubi Paulus de Christo inquit *& ipse dedit quosdam Apostolos . . . . alios Pastores ad*

imo voluit etiam hanc eandem legem suam manifestam, & notam fieri omnibus hominibus, necesse quoque fuit, ut medium quo ad ejus cognitionem pervenirí possit; esset adeo notum, ut neminem lateret: & adeo obvium & commune, ut omnium capacitati proportionatum existeret: ac tandem ut esset ab omni errandi periculo exemptum; nam si medium quo nobis credenda innotescunt, quomodolibet fallax esset, & errori obnoxium, falsa etiam & errori obnoxia esse possent omnia illa, quae mediante eo fide apprehendimus, ut per se patet.

consumationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi : & ex 1. ad Corinth. cap. 12. v. 8. ubi idem Apostolus ait *alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ*, *alii autem sermo scientiæ*, *alii interpretatio sermonum* : quorsum enim spectat, vel spectare potest necessitas Pastorum, & Doctorum, quibus, ut Calvinus ipse fatetur lib. 4. Instit. cap. 4. §. 4. *non potest unquam carere Ecclesia* ? quorsum *sermo sapientiæ*, *& scientiæ?* quorsum *interpretatio sermonum?* nisi ut fideles circa ea, quæ credenda sunt & agenda, ipsi instituant, & ut verus ac legitimus sacræ scripturæ intellectus, & sensus a falso et erroneo certo & infallibiliter discernatur? merito propterea in lib. 3. advers. hæres. cap. 4. de Ecclesia affirmat S. Martyr Irenæus *in quem Apostoli tanquam in depositorium dives plenissime contulerunt omnia*, *quæ sunt veritatis*, *& omnis quicumque velit*, *sumat ex ea potum vitæ*. *Secundo* non solum doctis, & vario scientiarum genere præditis, non solum probis & vitæ sanctitate conspicuis, sed omnibus plane Christianis etiam rudibus, cujusque status & conditionis, dummodo usu rationis gaudeant, & capaces sint adipiscendæ salutis ex propria fide, adeo compertum est existere Ecclesiam, ut nullus plane eandem ignorare valeat: *habetis Ecclesiam* inquit S. P. Augustinus de Unit. Eccl. cap. 20., *ubique diffundi*, *& crescere ad messem*: *habetis civitatem*, *de qua ipse*, *qui eam condidit*, *ait* : *non potest civitas abscondi super montem posita* : *ipsa est ergo*, *quæ non in aliqua parte terrarum*, *sed ubique notissima est*. Neque soli Christiani, sed etiam infideles ipsi, quibus lux Evangelii nondum affulsit, possent eandem sine magno labore detegere, dummodo annuntiantibus sibi fidei veritatem sponte aures suas non occlu-

derent : *est enim talis ejus splendor*, ut observat modo citatus S. Doctor in lib. contr. Epist. Fundamenti cap. 4. *ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen alicui, ubi ad catholicam conveniatur? nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere*. *Tertio* auctoritas Ecclesiæ in proponenda, & exponenda scriptura sacra, & reliquis articulis fidei est etiam capacitati fidelium maxime commensurata : nam primo, ut notat S. P. Augustinus loco modo citato *turbam* quæ sicut in omni alia societate, ita etiam in illa Christianorum maximam partem constituit, *non intelligendi vivacitas*, *sed credendi simplicitas tutissimam facit*: deinde ad cognoscendum dogmata fidei per auctoritatem Ecclesiæ proponentis aliquid ad credendum, nihil aliud requiritur, quam ut fideles Pastores suos, quos Christus ipse dedit *in opus ministerii*, audiant; idest animo recto atque docili excipiant, quæ ab Ecclesia ex credendorum, & agendorum regulis, scriptura nempe, & traditione tanquam divinitus revelata ad credendum proponuntur : quod profecto sicut in omnium potestate positum est, ita nullius plane, qui ad usum rationis pervenit, excedit capacitatem. Tandem *quarto* Auctoritas ista est etiam medium aptum, & adæquatum ad tribuendam Christianis omnibus certitudinem maximam, quæ in hac materia haberi potest, de omnibus, & singulis objectis fidei : nam Ecclesia proponens aliquid ad credendum non potest errare, igitur qui credit Ecclesiæ proponenti aliquid ad credendum, habet hoc ipso maximam certitudinem de omnibus, & singulis objectis fidei ; antecedens patet : nam Math. cap. 16. v. 18. inquit Christus *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, & cap. ultimo v. 20., *& ecce ego*

vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi: ergo Ecclesia proponens aliquid ad credendum non potest errare: nam si aliquando posset errare, possent profecto etiam aliquando adversus illam portæ inferorum prævalere, neque ullatenus verum esset, quod Christus, qui est *via veritas & vita* Joan. cap. 14. v. 6. maneat cum illa *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: præterea ex 1. ad Timoth. cap. 3. v. 15. Ecclesia est *columna, & firmamentum veritatis*, quomodo autem & quo jure dici potest *columna, & firmamentum veritatis*, si etiam ipsa in proponenda nobis æterna veritate, idest in iis quæ divinitus revelata fuerunt, potest prolabi in errorem? merito propterea pronutiat S. P. Augustinus in lib. 7. contra Donat. cap. 53. *nobis tutum est id fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est*. Maxime vero quia, ut notat in lib. de Præscrip. cap. 21. Tertullianus, *quid prædicaverint Apostoli, quid Christus illis revelaverit, non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt*. Igitur universim medium aptum, & adæquatum, per quod fidelibus omnibus certo innotescunt, tam sacra scriptura quam reliqui omnes articuli fidei, est auctoritas Ecclesiæ proponens aliquid ad credendum.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. Multi articuli nostræ fidei respiciunt Ecclesiam ipsam, atqui ut fert juris proverbium *nemo potest esse judex in propria causa*: ergo auctoritas Ecclesiæ non potest esse medium adæquatum, & legitimum quo fidelibus innotescant singuli articuli fidei: deinde fides

nostra non fundatur in auctoritate Ecclesiæ proponentis, sed in illa Dei revelantis; neque enim credimus propter auctoritatem Ecclesiæ, sed propter auctoritatem Dei revelantis. Ergo, &c.

Respond. Ad primum *dist.* nemo potest esse Judex in propria causa auctoritative tribuendo sibi quod controvertitur *conc.* auctoritative declarando, & explicando quod controvertitur *nego*. Universim loquendo axioma illud politicorum *nemo potest esse judex in propria causa*, ita demum intelligi debet, quod nemo possit sibi jure attribuere, & vindicare ea, de quibus controversia aliqua instituitur, seu ut apertius loquamur, quod nemo possit sibi ipsi jus dicere, porro autem dum Ecclesia proponit articulum aliquem explicite credendum, sive denique pertineat ad Ecclesiam ipsam, vel ad aliud quodlibet objectum fidei: non dicit jus sibi ipsi, neque attribuit sibi aliquid, quod suum non est, neque enim vel efformat auctoritate sua articulum illum, quem ad credendum proponit, neque attribuit illi divinam auctoritatem, nam istud habet quilibet articulus nostræ fidei, non ab Ecclesia, sed a Deo ipso revelante, sed declarat tantum, & definit auctoritative, atque explicat infallibiliter id, quod in divina revelatione contentum est, idest quod articulus ille sit revera unus ex illis, qui divinitus revelati fuerunt; ac proinde non tribuit sibi quidquam in propria causa, sed declarat tantum quod sibi jure competit; & hoc pacto judicant etiam Principes temporales in propria causa, quotiescunque judicant delictum aliquod esse vel contra Principis, vel contra civium incolumitatem, sicut sunt delicta proditoria, & ea quæ læsæ Majestatis vocansur.

Ad alterum *dist.* Fides nostra non fundatur in auctoritate Ecclesiæ proponentis tamquam in motivo formali propter quod credimus *conc.* Tanquam in mo-

tivo formali per quod credimus *nego*. Utique quidquid fide catholica credimus, non credimus nisi propter auctoritatem Dei revelantis, si loquamur de motivo sive de ratione formali & unica, propter quam credimus; neque enim alia ratio potens est extorquere a nobis assensum istum, ut firmiter credamus verissima esse, quæ minime intelligimus, sicuti sunt omnia fidei nostræ mysteria, quam illa, quæ fundatur in summa Dei veracitate falli, & fallere nescia; sed quia certo, & infallibiliter non constat, quænam sint in particulari divinitus revelata, nisi per auctoritatem Ecclesiæ, quæ nobis dogmata revelata manifestat, atque ad credendum auctoritative proponit; hinc credimus etiam propter auctoritatem Ecclesiæ proponentis, tanquam medium certum & infallibile, per quod innotescunt nobis omnia illa, quæ divinitus revelata fuerunt: atque ita generatim auctoritas Dei revelantis est motivum formale propter quod credimus, & auctoritas Ecclesiæ proponens aliquid ad credendum, est motivum formale per quod credimus, sive est ratio formalis sine qua neque de scriptura sacra, neque de alio quovis articulo fidei certi esse possumus, quod sit divinitus revelatus.

Ut autem hæc magis clariora fiant, notandum hic est, tres esse veluti gradus nostræ fidei, nam primo potest fieri quæstio, cur credamus v. g. Tres esse in Deo personas distinctas ac separatas, & unam tantum naturam atque substantiam? cui quæstioni respondemus, quia Deus ita nobis revelavit: secundo quæri potest unde nobis constat, quod istud Deus revelaverit? & tunc respondemus, quia Ecclesia auctoritate sua istud nobis ad credendum proponit tanquam aliquid divinitus revelatum, atque in sacra Scriptura, & constanti traditione majorum manifeste contentum: ac tandem tertio fieri potest

quæstio, cur certam fidem adhibeamus Ecclesiæ mysterium istud nobis proponenti tanquam aliquid divinitus revelatum ad credendum? & tunc respondemus primo generatim propter motiva credibilitatis superiori capite in probatione ad tertiam propositionem allata, ex quibus certi reddimur, quod Ecclesia divinitus instituta sit, atque ideo fieri non possit, ut aliquid doceat, quod divinæ huic suæ institutioni contrarium sit; & secundo etiam, præsertim vero quando sermo est cum hæreticis, propter manifesta sacræ Scripturæ testimonia, quæ clare ostendunt Ecclesiam audiendam esse in omnibus, quæ ipsa nobis ad credendum proponit jubente Domino, quod quisquis Ecclesiam non audiverit sit nobis sicut ethnicus, & publicanus Math. cap. 18. v 17.

Opp. 2. Ecclesia non est, neque Scriptura sacra neque articulis fidei superior: ergo non potest esse medium adæquatum, quo fidelibus Scriptura, & articuli fidei certo innotescunt: deinde ex circulo vitioso nihil solidum, & veritati consonum concludi potest: at vero quod auctoritas Ecclesiæ sit medium adæquatum, quo fidelibus certo innotescunt, tam scriptura, quam reliqui omnes articuli fidei, demonstrari non potest sine circulo vitioso: nam in ista demonstratione infallibilis auctoritas sacræ Scripturæ non innotescit, nisi ex infallibili auctoritate Ecclesiæ, & vicissim infallibilis auctoritas Ecclesiæ non innotescit, nisi ex infallibili auctoritate sacræ Scripturæ, ergo auctoritas Ecclesiæ proponens aliquid ad credendum non est medium aptum, & legitimum, quo fidelibus omnibus articuli fidei certo, & infallibiliter innotescunt.

Respond. ad primum *dist.* Ecclesia non est neque Scriptura neque articulis fidei superior, idest; non habet auctoritatem jurisdictionis constituendi, & ef-

formandi, vel Scripturam sacram, vel articulum aliquem fidei *conc.* idest non habet auctoritatem magisterij discernendi, & declarandi infallibiliter, tam Scripturam sacram quam singulos articulos fidei *nego*. Ut recte statuatur, quod auctoritas Ecclesiæ proponens aliquid ad credendum sit medium aptum, & adæquatum, quo fidelibus tam Scriptura sacra, quam reliqui articuli fidei certo innotescunt, necesse non est, ut Ecclesia ipsa concipiatur, vel Scriptura, vel articulis fidei superior: nam universim auctoritas alia est, qua quidpiam jure proprio efficitur, & in propria sua essendi natura constituitur, alia vero qua quidpiam auctoritative discernitur, & declaratur: prior fundatur in potestate, & jurisdictione aliquid efficiendi, & hæc supponit semper superioritatem: altera vero fundatur in potestate, & jurisdictione aliquid discernendi, & declarandi: & hæc nullam plane supponit superioritatem, & potest etiam inferiori competere, ut patet in judicibus forensibus, qui profecto non sunt supra, sed infra legem, & tamen discernunt auctoritate sua, atque declarant legem ipsam: Porro hoc eodem modo discurrendum est de auctoritate Ecclesiæ, nimirum ea, ut dictum est supra in responsione ad primum, non efformat, neque constituit, sed discernit tantum, & declarat infallibiliter, tam sacram Scripturam, quam reliquos articulos fidei assistente sibi Spiritu Sancto tanquam certa, & infallibili suæ discretionis regula, qua fit, ne unquam in errorem prolabatur: ac proinde etiamsi inferior sit, & non superior, tam relate ad sacram Scripturam, quam relate ad articulos fidei, sive rectius ad Deum ipsum, qui istorum principalis, & immediatus est auctor, atque institutor, non cessat tamen propterea esse legitimum, & adæquatum medium, quo

nobis tam Scriptura sacra, quam omnes articuli fidei certo innotescunt.

Ad alterum *conc. maj. nego min.* Ad probat. conced. prima pars antecedentis, nempe conceditur, quod infallibilis auctoritas Scripturæ non innotescat relate ad nos, nisi ex infallibili auctoritate Ecclesiæ: dictum est autem *relate ad nos*: hoc est, non in se inspecta, sed hoc sensu, ut nobis innotescat infallibiliter hunc v. g. vel illum librum esse vere sacram Scripturam; vel etiam hunc, vel illum sensum fuisse vere a Spiritu Sancto intentum: nam quod Scriptura sit infallibilis in se inspecta, sive ab intrinseco, hoc habet ex seipsa, quia est ipsum verbum Dei ab hominibus Spiritu Sancto inspirante conscriptum: & distinquitur altera pars: nempe infallibilis auctoritas Ecclesiæ non innotescit, nisi ex infallibili auctoritate sacræ Scripturæ quando auctoritas ista demonstranda est adversus hæreticos *conc.* universim, & in omni casu *nego*. Imprimis universim non una tantum, sed duplex est ratio, qua utimur ad demonstrandum, quod Ecclesia sit infallibilis: nam primo quando sermo est adversus hæreticos, qui solam Scripturam tanquam unicam, & solam fidei regulam recipiunt, & spernunt auctoritatem Ecclesiæ, tunc utimur utique sacra Scriptura tamquam medio demonstrationis, quod ab hæreticis æque, quam a nobis tanquam principium certum, & infallibile recipitur: quando autem sermo est, vel contra incredulos, vel contra gentiles, qui Scripturam sacram minime agnoscunt, tunc ostendimus Ecclesiam esse infallibilem in sua doctrina fidei, & morum, ex divina illius origine, quam sine ulla relatione ad Scripturam evidenti, & necessaria consecutione deducimus ex motivis credibilitatis superiori capite in probatione ad tertiam propositionem pro-

ductis; ex quibus aliqua commemorat etiam S. P. Augustinus in lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 4. ubi inquit: *multa sunt, quæ in ejus* (Ecclesiæ) *gremio me justissime teneant: tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post ressurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum, tenet postremo, ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter, tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere: ista ergo tot, & tanta nominis Christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica Ecclesia.*

Deinde circulus vitiosus est, quando idem probatur per idem; idest quando duæ propositiones ita se se mutuo probant, ut utriusque extrema uno eodemque probationis medio sibi invicem convenire ostendantur, sive brevius, quando una probatur per aliam uno eodemque probationis genere: quod in nostro casu nullatenus contingit: nam primo, quando adversus hæreticos deducimus ex infallibili auctoritate sacræ Scripturæ, quod Ecclesia sit infallibilis in suis fidei, & morum decretis, tunc respicimus Scripturam sub duplici respectu, nempe quatenus in se, & ab intrinseco est ipsum infallibile Dei verbum, & simul etiam quatenus relate ad nos est prima credendi, & agendi regula; sive quod idem est, tunc consideramus Scripturam, & quatenus continet ipsam auctoritatem Dei revelantis, seu motivum formale propter quod credimus, & simul etiam quatenus est

medium, quo illa quæ in Scriptura, vel formaliter, vel virtualiter continentur, nobis certo innotescunt, seu quatenus est etiam motivum formale per quod credimus: econtra autem quando postea adversus eosdem per regressum demonstrativum, ut ajunt, ex sic demonstrata infallibili auctoritate Ecclesiæ ostendimus hunc, vel illum librum esse vere Scripturam sacram, & hunc tantum, vel illum sensum fuisse vere alicubi a Spiritu Sancto intentum, tunc assumimus infallibilem auctoritatem Ecclesiæ tantummodo sub hoc respectu, quatenus ipsa est medium certum, quo nobis Scriptura, seu verbum Dei in ea contentum, & legitimus ejus sensus innotescit; sive quod idem est, tunc assumimus auctoritatem infallibilem Ecclesiæ tantum sub hoc respectu, quatenus ipsa est medium, & motivum formale per quod credimus: jam vero cum Scriptura sacra in se inspecta sit ipsum verbum Dei, consequitur necessario, quod infallibilis ejus auctoritas, non solum declarandi, & explicandi rationem habeat, sed etiam intrinsece, & formaliter constituat, atque efformet articulum istum fidei, quod Ecclesia in rebus fidei, & morum sit infallibilis: econtra vero infallibilis auctoritas Ecclesiæ, ut sæpe jam dictum est, neque constituit neque efformat, vel articulos fidei, vel Scripturam sacram, sed declarat tantum, & explicat, sive quod idem est, proponit tantum, non autem efficit, vel articulum aliquem fidei, vel Scripturam infallibilem; hinc fit, quod diversum plane sit probationis genus, sicut divesra est auctoritas infallibilis sacræ Scripturæ, ex qua probamus infallibilem Ecclesiam, ab auctoritate infallibili Ecclesiæ, ex qua vicissim probamus infallibilem Scripturam, atque ita non probatur amplius idem, per idem; sicut ad formandum circulum vitiosum necessario requiritur.

Ex his autem quæ usque modo disputavimus de

medio, quo nobis tam Scriptura sacra, quam reliqui omnes articuli nostræ fidei certo, & infallibiliter innotescunt, sequitur primo, quod genuinus, & legitimus sacræ Scripturæ interpres, & Judex omnium controversiarum fidei sit Ecclesia; ac proinde quod judicium ad ultimate, & irrefragabiliter finiendam quamlibet fidei controversiam, vel circa discretionem sacrorum librorum, vel circa Scripturæ sacræ & divinæ traditionis sensum determinandum exclusive pertineat ad Ecclesiam.

Quia vero nulla societas docet seipsam, sed debet semper ab aliquo, vel ab aliquibus doceri, patet, quod tam propositio credendorum, quam judicium controversiarum pertineat ad Ecclesiam, non quatenus est societas fidelium, sed quatenus Pastores, & doctores Ecclesiæ complectitur, & quia in omni republica ad finiendas civium lites sæpius non sufficit, quod adsint Jurisperiti, qui jus ipsum declarant, & explicant, sed necesse est, ut adsit supremus Judex, qui cum auctoritate pronuntiat, ita etiam in Ecclesia, ut prædictæ controversiæ finem certum habeant, satis non est, ut sint Pastores, qui credenda fidelibus proponunt, sed necesse etiam est, ut in ea sit quoque Judex supremus, qui auctoritatem habeat infallibiliter judicandi, & definiendi: hunc autem esse Romanum Pontificem inferius ostendetur.

Sequitur secundo quod hæretici, qui abjiciunt atque spernunt auctoritatem Ecclesiæ in materia fidei, & morum, licet recipiant Scripturam sacram tanquam infallibile verbum Dei, destituti tamen sint vera, & perfecta fidei regula: nam ut Scriptura possit esse perfecta fidei regula, debet primo per infallibile medium innotescere, quod liber aliquis sit vere a Spiritu Sancto dictatus; quod editio non sit

corrupta, sed integra, & sincera, & præcipue quisnam sit verus ejus sensus a Spiritu Sancto intentus, nam nisi hæc omnia innotescant, fides; quæ Scripturæ innititur, erit nececessario incerta, & vacillans, atque ideo non erit fides divina, sed humana.

Sequitur Tertio, quod fides supernaturalis per peccatum hæresis penitus destruatur, proindeque in homine hæretico penitus evanescat, quod ita certum esse statuit Suaresius disp. 7. sect. 4. *ut sine errore jam negari non possit*, & recte. nam ad fidem supernaturalem requiritur ex dictis certitudo revelationis a Deo factæ, atqui hæreticus talem certitudinem habere non potest: siquidem negata auctoritate Ecclesiæ non habet amplius infallibile medium, quo prudenter, & certo judicare valeat de revelatione divinitus facta.

Neque obstat, quod hæretici communiter credunt præcipua fidei dogmata, Trinitatis nempe, Incarnationis &c. Cum enim auctor fidei sit Deus ipse, qui non minus unum quam alium articulum revelavit, profecto quicumque, vel unum negat, licet alios credat, hoc ipso ostendit se erga Deum injurium, ac propterea etiam in articulis, quibus suum præbet assensum, non habet fidem supernaturalem; sed naturalem potius, & conceptam ex persuasione propriæ mentis magis, quam ex auctoritate Dei revelantis; ita ut hæreticis omnibus jure dici possit, quod S. P. Augustinus olim improperavit Manichæis in lib. 17. contra Faustum cap. 3. ad finem dicens: *aperte dicite non vos credere Christi Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quam evangelio creditis.*

Loquimur autem hic de peccato hæresis, & de hæreticis formaliter spectatis; idest quatenus *hæresis*

est error in fide cum pertinacia, circa articulum aliquem ab Ecclesia ad credendum fidelibus legitime propositum: ac propterea etiam hæreticus formalis dici non debet, nisi ille, de quo constat, quod propriæ voluntatis arbitrio pervicaciter inficiatur articulum aliquem prædicto modo ab Ecclesia ad credendum propositum: unde S. P. Augustinus in lib. 4. contr. Donatistas cap. 4. inquit: *nondum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit.*

CAPUT III.

De Numero, Divisione, & Canone Librorum Sacræ Scripturæ.

Notum est omnibus sacram Scripturam dividi in duo testamenta, vetus, scilicet, & novum; illud complectitur mandata, & præcepta Hebræis tradita; istud autem illa, quæ a Christo Domino in plenitudine temporum per prædicationem Apostolorum universo mundo annuntiata fuerunt: & licet utrumque ab omnibus, qui fidem Christi profitentur, tanquam fidei, & morum regula suscipiendum sit, hoc tamen inter utrumque intercedit insigne discrimen, quod vetus testamentum datum uni tantum populo Israelitico, Messiam venturum, novum autem, spectans ad omnes gentes, eundem jam natum tanquam objectum princeps respiciat: atque ita in novo testamento futurum in præsens, & figura, in figuratum transiverit.

Præcepta hebræis olim data erant triplicis generis: nempe *moralia*, *judicialia*, & *cæremonialia*: prima obligabant, & obligant etiam modo omnes homines, pertinent enim ad naturæ dictamina, & continent legem a Deo ipso hominum cordibus impressam, quæ propterea immutabilis est, & obligat omnes; non ita cætera: nam *judicialia* cessarunt obligare hoc ipso, quod cessaverit Respublica Hebreorum, ad quam continendam data fuernnt. *Cæremonialia* autem, quæ S. P. Augustinus, cum essent circa figuras Christi venturi, & Ecclesiæ illius, merito præcepta vitæ significandæ nominavit, non obligant amplius, nec obligabant, nisi Judæos tantum, qui erant sub lege: de qua re in Epistol. ad

Rom. cap. 6. v. 14. ait Paulus: *Ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*.

Libri veteris testamenti, sicut in Biblijs nostris continentur, sunt quadraginta quinque: scilicet *Pentateuchus* (1), sive quinque libri Moysis *Genesis*, scilicet, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, & *Deuteronomius*; liber *Josue*, *Judicum*, *Ruth*; *Quatuor Regum*: *duo Paralippomenon*, sive praetermissarum: *duo Esdrae* e quibus secundus etiam *Nehemias* vocatur: *Tobias*, *Judith*; *liber centum quinquaginta Psalmorum*; *Proverbia*; *Ecclesiastes*; *Canticum Canticorum*; *Sapientia*; *Ecclesiasticus*; *Quatuor Prophetae majores*, sic dicti, quia diffusius caeteris scripserunt; nempe *Isaias*; *Jeremias*, cum *Baruch*; *Ezechiel*; *Daniel*. Item duodecim Prophetae minores; nempe *Osaeas*, *Joel*; *Amos*; *Abdias*; *Jonas*; *Michaeas*; *Nahum*; *Habacuc*; *Sophonias*; *Aggaeus*, *Zacharias*, & *Malachias*: ac demum duo libri *Mathabaeorum*; primus nimitum, & secundus (2).

(1) *Pentateuchus* dicitur Hebraeis *Thora* sive lex, & est opus omnium antiquissimum; ex quo gentiles fabulas omnes deorum suorum decerpsisse videntur, ut late ostendit Daniel Huetius in demonst. Evangelica & praecipue cap. 18. Prop. IV.

(2) Omnes isti libri fuerunt certissime divinitus inspirati (idem dicatur de illis, qui hic recensentur ex novo testamento) non convenit tamen de omnibus, quonam auctore scripti fuerint: & erat hic forte expediens de hoc argumento distincte pertractare, praesertim vero ad retundendam audaciam intemperantiorum quorundam criticorum, qui diversis ex his libris omnem fidem denegant ex hoc titulo, quia non constat de veris illorum auctoribus, quasi vero scripto alicui ingenuo nulla plane habenda sit ratio ideo solum; quia ignoratur verus illius auctor: sed quia cognovi argumentum istud non tam ad generalia theolo-

Libri novi Testamenti sunt viginti septem: nimirum quatuor Evangelia secundum *Mathæum*; *Marcum*, *Lucam*, & *Joannem*: *Acta Apostolorum* a S. Luca conscripta: Epistolae S. Pauli quatuordecim: nempe una ad *Romanos*; duae ad *Corinthios*; una ad *Galatas*; una ad *Ephesios*; una ad *Philippenses*; una ad *Colossenses*; duae ad *Thessalonicenses*; duae ad *Timotheum*; una ad *Titum*; una ad *Philemonem*; & una ad *Hebræos*: item duae Sancti Petri, & tres S. Joannis; una S. Jacobi; & una S. Judae, atque *Apocalypsis* S. Joannis.

giæ principia, quæ enucleanda propositum est, quam ad accuratam de sacra Scriptura tractationem pertinere, statui mecum illa tantum hic annotare, quæ generaliora esse videntur: & primo quidem de Pentateucho certissimum est illum a Moyse conscriptum etiam ex profanorum scriptorum testimonijs: nihilominus tamen habentur quædam in illo, quæ a posterioribus scriptoribus scilicet vel a Josue, vel ab Esdra Propheta in illum deinceps inserta fuerunt; sicuti sunt inter alia narratio de morte & sepultura Moysis; item nomina civitatum & regionum, quæ tempore Moysis nondum usitata erant, v. g. Genes. 14. v. 15. civitas *Dan*, quæ primum *Lais* dicebatur: & *Hebron* quæ in Pentateucho sæpius occurrit, & ita dicta fuit ab *Hebron* filio *Caleb*, & quæ antea *Cariatharbe* vocata erat, ut colligitur ex Josue cap. 14. deinde etiam liber Josue ab ipso Josue conscriptus esse videtur, licet sint, qui illum *Eleazaro*, alij vero, qui vel *Samueli*, vel *Isaiæ*, vel etiam *Esdræ* attribuunt: de libro autem Judicum incertum est, an singuli Judices res suas conscripserint, ut aliqui putant; an vero vel *Phinees*, vel *Samuel*, ut magis probabile esse videtur, illum conscripserint? de *Ruth* ait Augustinus Calmet in Prolegom. *Quis nam rogo auctor iste, et cujus ætatis? sunt qui Samuelem, sunt qui Ezechiam, qui Esdram credunt; nihil certi in ea re habemus*. De libris quatuor Regum sunt, qui integros priores duos, alij vero qui tantum prima viginti quatuor capita libri primi Samueli adscribunt: alij vero probabilius existimant omnes quatuor ex di-

Ex Epistolis istis Apostolorum septem, quae ultimo loco positae sunt, vocantur communiter in Scholis, primo *Catholicæ*, sive universales, quia universalia, & communia toti Ecclesiae argumenta continent, & quia omnes ferme scriptae fuerunt ad cœtum fidelem universum, non autem ad particulares, vel Ecclesias, vel personas, sicut illae S. Pauli: & secundo, etiam *Canonicæ*: quia ad formandos fidelium mores sunt instar canonis, seu regulae cujusdam universalis; & quia in Canonem seu in Cathalogum divinorum librorum relatae fuerunt exclu-

versorum auctorum sctiptis a posteriore aliquo sacro scriptore, puta vel ab *Isaia*, vel a *Jeremia*, vel etiam ab *Ezechia* Rege Juda concinnatos & digestos fuisse: deinde libri *Paralippomenon* probabilius compilati fuerunt ab Esdra Propheta ex diversis commentarijs, & annalibus aliorum scriptorum: porro Esdras iste est etiam auctor primi libri ex duobus, qui sub nomine illius innotescunt, alterius vero auctor est *Nehemias*; Auctores libri *Tobiæ* communiter habentur Pater & filius hujus nominis, sed suspicantur aliqui, quod duo ultimi versus postremi capitis ab ignoto aliquo auctore, vel a quodam ex illorum Nepotibus additi fuerint: de libro Judith incerta omnia; sunt tamen qui putant illum a Judith ipsa scriptum fuisse, alij vero probabilius vel a *Joachim*, seu *Eliacim*, vel etiam a *Josue* filio *Josedech*: de libro Esther probabilius est, quod a *Mardochæo* potius, quam ab Esther ipsa conscriptus sit: de libro *Job* probata est antiquorum etiam scriptorum suffragijs sententia, auctorem ejus fuisse Moysem, & scriptum ab ipso, cum in terra Madian exularet, ad consolationem populi Israelitici, qui tunc adhuc ægyptiaca servitute premebatur: de libro Psalmorum consentiunt omnes maximam partem illorum Davidi tribuendam: sunt tamen inter recentiores, qui putant complures ex illis illorum esse, quorum nomina in fronte cujuslibet præferuntur: scilicet *Asaph*, *Idithum*, *Filiorum Core*, *Eman*, *Ezrahitæ* &c. deinde liber Proverbiorum, Ecclesiastes, & Canticum canticorum, sunt omnes

sis alijs, quae in primitiva Ecclesia non minus, quam istae sub nomine Apostoli alicujus innotuerant.

Hinc intelligitur, quod vox ista Canon generatim nihil aliud significat nisi vel *regulam*, seu *normam*, vel etiam *cathalogum*: atque ideo libri sacri vocantur *canonici* sub duplici respectu: nempe primo, quia sunt regula, ac norma fidei, & morum: & secundo, quia in cathalogo divinorum librorum comprehensi habentur.

Libri Canonici in genere dividuntur in *Protocanonicos*, & in *Deuterocanonicos*: *Protocanonici*, seu quod idem est, Canonici primi ordinis dicuntur illi, qui ab universa Ecclesia quovis saeculo ut canonici, & divinitus inspirati agniti, & recepti fue-

a Salomone conscripti; & judicio quorundam etiam Sapientia, quod tamen minus recte creditur, nam librum istum græco auctori adscribi debere ostendunt eruditi omnes; & de eo jam suo tempore S. P. Augustinus in lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. incunctanter affirmavit *non esse Salomonis non dubitant Doctores*: Ecclesiasticus est opus *Jesu filij Sirach*, ut ex ipso libro: cap. 50. v. 29. colligitur: libri Prophetici, præsertim illi qui a quatuor majoribus, Isaia nimirum, Jeremia, Ezechiele, & Daniele conscripti sunt, sicut etiam illi Prophetarum minorum, extra omnem controversiam habent illos auctores, quorum nomina præseferunt: quod autem spectat ad primum & secundum librum Machabæorum, sunt qui primum adscribunt Judæ Machabæo, cujus solertia in colligendis libris sacris commendatur expresse in 2. Machab. cap. 2. v. 14. alij vero adscribunt illum Joanni Hircano Simonis Machabæi filio, cujus commentarij in 1. Machab. cap. 16. vers. ultimo memorantur: alter vero, qui ex Jasonis cujusdam quinque libris abbreviatus fuit, tribuitur vel Philoni Alexandrino, vel Josepho celeberrimo antiquitatum Judaicarum scriptori: & a Serrario in Proloquio in 2. Machab. & in lib. 2. in Judæ Epist. cap. 1. & 2. cuidam *Essæo*.

runt: ***Deuterocanonici***, vero sive Canonici secundi Ordinis vocantur illi, de quibus aliquando, & a quibusdam in Ecclesia dubitatum fuit, an essent vere divinitus inspirati? & qui tardius in cathalogum divinorum librorum solemni Ecclesiae judicio relati fuerunt.

Praeterea libri tam veteris, quam novi testamenti dividuntur communiter in *legales*, in ***historicos***, in *sapientiales*, & in *Propheticos*: *legales* dicuntur, qui regulas continent, quibus illa, quae agenda, vel omittenda sunt, praescribuntur: sicuti sunt ex veteri testamento quinque libri Moysis: & ex novo quatuor Evangelia: ***historici***, qni res gestas, & facta enarrant: & hujusmodi ex veteri testamento numerantur septemdecim; scilicet *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor regum*, *duo Paralippomenon*, *duo Esdræ*, *Tobiæ*, *Judith*, *Esther*, *Job*, & *duo Machabæorum*: ex novo autem unus, nempe *Acta Apostolorum*: *Sapientiales* sunt, qui continent consilia, & praecepta quibus ad sectandas virtutes, & vitia fugienda incitamur: & hujusmodi ex veteri testamento sunt quinque, nimirum *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum Canticorum*, *Sapientia*, & *Ecclesiasticus*: ex novo vero una, & viginti Epistolae Apostolorum: ***Prophetici*** tandem sunt, quibus res latentes, & absconditae praenuntiantur: sicuti sunt liber Psalmorum, & libri Prophetarum omnes ex veteri testamento, & ex novo *Apocalypsis* S. Joannis Apostoli.

Praeter libros istos, qui omnes certissime divinitus inspirati fuerunt, ut dictum est Nota 2. notari hic merentur plures alii, qui ad Scripturam sacram relationem aliquem habere videntur; eo quia olim a privatis Scriptoribus ad eandem pertinere crediti sunt, qui tamen nunc ab omnibus considerari jam solent tanquam Apocryphi, seu ignoti, *quorum Origo non*

claruit Patribus, ut explicat S. P. Augustinus in lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. eo quia ab Ecclesia in Canonem sacrae Scripturae palam nunquam recepti fuerunt.

Porro autem libri isti, e quibus magnus numerus jam olim a Gelasio Papa perstrictus fuit in suo decreto de Canonicis Scripturis, referri possunt ad duas classes, ita ut alij dicantur *spurij*, alij vero *dubij* tantum: *Spurios* appellamus illos, de quibus, vel certo, vel saltem magna probabilitate constat, quod sacris Scriptoribus suppositi fuerunt: dubios vero illos, quos concilium Tridentinum post diligens examen neque pro manifeste spurijs, neque pro Canonicis declaravit.

Ad libros Spurios ex omnium consensione pertinent imprimis Protoevangelium Sancti Jacobi fabulis, & ineptijs refertum, quod Epiphanius haeresi 26. Gnosticis attribuit: item aliud ejusdem furfuris, quod sub nomine Nicodemi cui Christus Joan. cap. 3. v. 10. dixit: *tu es Magister in Israel, & hæc ignoras*, ab Anglis, qui Nicodemum istum primum suae gentis Apostolum suspiciunt, procusum fuisse putat Fabricius de Apocryph: novi testamenti, & quod Jerosolymis inter codices publici Praetorij Pontij Pilati sub Theodosio magno Imperatore inventum fuisse asseritur: ac demum generatim Evangelia omnia, quae sub nomine Thomae, Andreae, Bartholomaei, & aliorum Apostolorum olim innotuerunt: de quibus omnibus diffuse pertractat Augustinus Calmet in dissert. de Evangelijs apocryphis.

Deinde inter libros spurios magna probabilitate referuntur a multis primo Epistola Agbari, seu ut alii ajunt, Abagari Regis Edessenorum ad Christum, & Christi Domini ad eundem Responsio, quas tanquam authenticas ex Edessæ tabularijs, & Archiviis excerptas

laudat & refert Eusebius lib. 1. Hist. Eccl. cap. 13. (3) illas tamen tanquam genuinas defendit inter alios etiam Hyacinthus Serry, Exercit. 46. de Christo: secundo huc spectant etiam tres Epistolæ B. Mariæ Virginis; nimirum una ad S. Ignatium Antiochenum al-

(3) Utraque memorata Epistola loco citato in editione Augustae Taurinorum anni 1746. refertur pagina 36. in modum ut sequitur.

Exemplar Epistolae scriptae a Rege Agbaro ad Jesum, et ad eum missae Jerosolyma per Ananiam Cursorem.

„ Agbarus Princeps Edessae „ Jesu Servatori bono, qui in „ finibus Hierosolymorum ap- „ paruit Salutem. Nuntiatum „ est mihi de te, & de cura- „ tionibus, quas absque herbis, „ & medicamentis operaris. „ Fama enim est, cœcis vi- „ sum, claudis gressum abs te „ restitui, leprosos mundari, „ daemonias & immundos Spi- „ ritus expelli, diuturnis mor- „ bis oppressos sanari, mortuos „ denique suscitari. Quae cum „ omnia de te audirem, sic ani- „ mum meum induxi, aut te re- „ vera Deum esse, qui a cœlo „ delapsus haec efficias, aut „ certe Dei Filium. Proinde ad „ te scripsi orans, ut nos invi- „ sere, morbumque nostrum „ sanare non graveris. Audio „ enim Judaeos tibi obtrectare, „ & insidias in caput tuum „ struere. Est mihi Civitas, „ parva quidem illa, sed or- „ nata, quae nostrum utrique „ sufficiat „.

Haec Agbarus ad Christum: cui subjicitur loco citato etiam exemplar responsionis Christi in modum quo sequitur.

Rescriptum Jesu ad Agbarum Regem Edessae per Ananiam Cursorem.

„ Beatus es Agbare, qui in „ me credideris, quem non „ vidisti: de me enim scri- „ ptum est eos, qui me vi- „ derint, non credituros in „ me, ut ii, qui non viderint „ credentes vitam accipiant. „ Quod vero ad me scribis, „ ut ad te proficiscar, hic ne- „ cesse habeo omnia implere, „ propter quae sum missus, „ iisque demum absolutis ad „ illum, qui me misit reverti. „ Caeterum cum primum ad „ eum me recepero, ex disci- „ pulis meis aliquem ad te mit- „ tam, qui & morbum tuum „ curet, & vitam tibi tuisque „ omnibus praestet „.

tera ad Messanenses, & tertia ad Florentinos (4) e quibus primam refert Sixtus Senensis in Biblioth. Sancta Tom. I. pag. 134. edit. Neapol. 1742. quæ tamen Epistolæ juxta nostrum cogitandi modum, licet antiquis revera incognitæ fuisse inveniantur, videntur

(4) Singulas istas Epistolas refert Albertus Fabricius in Codice Apocryph. novi Testament. Tom. II. ubi etiam attingit momenta illa, quibus critici recentiores demonstrare pertentant Epistolas istas minime genuinas esse: illarum antem tenor est sequens.

Prima ad S. Ignatium Antiochenum.

„ Ignatio dilecto condiscipu- „ lo humilis ancilla Jesu Chri- „ sti „.

„ De Jesu, quae a Joanne „ audisti, & credidisti, vera „ sunt. Illa credas, illis in „ haereas, & christianitatis su- „ sceptae votum firmiter te- „ neas, & mores, & vitam „ voto conformes. Veniam au- „ tem una cum Joanne te, „ & qui tecum sunt visere. „ Sta in fide, & viriliter age! „ nec te commoveat persecu- „ tionis austeritas, sed valeat „ & exultet Spiritus tuus in „ Deo salutari tuo. Amen „.

Secunda ad Messanenses.

„ Maria Virgo, Joachim filia, „ humillima Dei Ancilla, Chri- „ sti Jesu Crucifixi Mater, ex „ Tribu Juda, stirpe David, „ Messanensibus salutem, & „ Dei Patris Omnipotentis be- „ nedictionem „.

„ Vos omnes fide magna le- „ gatos, ac nuntios per publi- „ cum documentum ad nos mi- „ sisse constat. Filium no- „ strum Dei genitum, Deum & „ hominem esse fatemini, & in „ cœlum post suam resurre- „ ctionem ascendisse, Pauli „ Apostoli praedicatione me- „ diante viam veritatis agno- „ scentes, ob quod vos, & ci- „ vitatem vestram benedici- „ mus, cujus perpetuam pro- „ tectricem nos esse volumus, „ anno filii nostri XVII. Nonis „ Julii, Luna 17. feria quinta „ ex Hierosolymis.

Tertia ad Florentinos.

„ Florentia Deo, & Domino „ Jesu Christo Filio meo & „ mihi dilecta. Tene fidem, „ insta Orationibus, roborare „ patientia. His enim sempi- „ ternam consequeris salutem „ apud Deum. „ *Et ex aliorum versione, ut ibidem notat Fabricius*. „ Florentiae . . . . „ dilectae. His enim salutem „ apud Deum, & apud homi- „ nes gloriam consequeris „.

nihilominus devotioni fidelium relinqui debere, saltem donec certioribus argumentis illarum falsitas plenius, & evidentius probata non fuerit. Tertio ad hanc eandem classem revocantur octo Lucii Annæi Senecæ ad Paulum Epistolæ, & sex ejusdem Apostoli ad Senecam responsiones, de quibus mentionem facit S. P. Augustinus Epist. 54. ad Macedonium, & quæ omnes legi possunt apud prædictum Sixtum Senensem loco citato pag. 148. & seq. ac tandem quarto huc spectant acta Theclæ & Pauli, quæ Pseudo epigraphis accensent Tertullianus de Bapt. cap. 17., & S. Hieronymus in Cath. Script. Eccles.: & e contra laudantur a S. Cypriano in Orat. de Martyr., & a S. P. Augustino lib. 3. contra Faustum cap. 4. ex quo suspicari potest, quod acta hujusmodi duplicia fortassis olim extiterint, nempe spuria, quæ ad Tertullianum & Hieronymum, atque sincera, quæ ad Cyprianum, & Augustinum pervenerint.

Quod ad libros dubios attinet, etiam isti sunt in duplici classe: nimirum primo aliqui ex illis habentur in diversis sacræ scripturæ editionibus simul cum libris Canonicis impressi, & in Bibliis inserti; sicuti sunt primo Oratio Manassis Regis Judæ cum captivus teneretur in Babylone. Secundo liber Tertius, & Quartus Esdræ. Tertio Appendix Psalterii. seu Psalmus 151. (5) Quarto Appendix Sapientiæ; Quinto Præfatiuncula Lamentationum Jeremiæ: & Sexto Liber Tertius, & Quartus Machabæorum.

Deinde alii laudantur tantum in libris Canonicis: sicuti est *primo* liber *bellorum Domini* de quo Num.

(5) Psalmus iste 151. Davidi inscriptus cum singulari certamine adversus Goliam conflixit continet versiculos VII. eumque sicut alios illustrat notationibus suis Augustinus Calmet in suo Commentario literali in sacram scripturam.

cap. 21. v. 14. ait Moyses *Unde dicitur in libro bellorum Domini, sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Amnon. Secundo liber justorum Domini.* Josue cap. 10. v. 13., & in 2. Reg. cap. 1. v. 18. allegatus. *Tertio* Liber Henoch cujus fragmentum exhibet Georgius Sincellus in sua Chronographia ad annum 1000., & ex quo etiam Judas Apostolus ponit testimonium in sua Epist. Canonica v. 14. dicens: prophetavit autem de his septimus ab Adam Henoch dicens: *venit ecce Dominus in sanctis suis millibus facere judicium, & arguere omnes impios de operibus iniquitatis eorum*, & permulti alii, de quibus videri potest supra allegatus Sixtus Senensis in Biblioth. Sacra lib. 2.

Si autem aliquis quæreret, cur libri isti, quos certum est a Prophetis scriptos fuisse, quippe quorum etiam nomina subinde non tacentur, & e quibus nullum amplius extat ne apographum aliquod exemplar, non fuerint conservati? nec reperiantur in Canone Sacræ Scripturæ? respondendum erit cum S. P. Augustino lib. 18. de Civit. Dei cap. 38. ubi inquit: *hujus rei fateor causa me latet, nisi quod existimo etiam ipsos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis esse deberent, sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione divina scribere potuisse: ut illa tanquam ipsis, ista vero tanquam Deo per ipsos loquenti, judicarentur esse tribuenda, ac si illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem.*

Sed ut revertamur unde discessimus, Canon sacræ Scripturæ, sive cathalogus librorum, de quibus constat, quod sint divinitus inspirati, alius est apud Judæos, alius apud hæreticos, & alius apud nos catholicos.

Quod spectat ad Canonem Judæorum, satis convenit, quod apud illum populum ante captivitatem babylonicam, in quam a Nabuchodonosorre integer pertractus fuit, nullus extiterit publica auctoritate constitutus, sed neque tunc opus erat, ut aliquis constitueretur, nam eousque probabiliter existebant semper authographa exemplaria, ab ipsis Prophetis & sacris scriptoribus exarata: quæ cum essent omnibus cognita, non erat necesse, ut ad conciliandam ipsis ab extrinseco divinam auctoritatem solemni alio decreto palam pro divinis declarari deberent: verum soluta deinceps captivitate ista post annos 70. per edictum Cyri Regis Persarum, de quo fit sermo in 2. Paralipp. cap. 36. v. 23. qui illis quoque vasa omnia aurea, & argentea templi a Nabuchodonosorre ablata, restituere jussit ex lib. 1. Esdrae cap. 1. v. 7. & seq. tunc Esdras *Scriba eruditus in sermonibus, & præceptis Domini, & cæremonijs ejus in Israel*, redux cum suis in Jerusalem studium suum, & laborem primum in istud intendit, ut libri sacri, qui probabiliter in illa temporum calamitate, intepescente inter chaldeos idololatras Israelitarum zelo, valde faedati jacebant, pristinae puritati, & integritati restituerentur: ac proinde a Spiritu Sancto specialiter afflatus libros sacros undique sedule conquisivit, & a mendis, quae in illa diuturna captivitate contraxerant, expurgatos, in unum volumen redegit, quod postea a Synagoga recognitum, & approbatum constituit Cathalogum, seu Canonem divinorum librorum apud Judaeos.

Dictum est autem *conquisivit*: nam quod quidam ajunt sacros libros in illa captivitate omnino deperditos fuisse, eosque ab Esdra afflante Spiritu Sancto ex integro restitutos, ac veluti noviter conditos, non videtur satis probari posse: neque enim credi-

bile est, quod in illa captivitate, in qua Judaei *suas Synagogas habuerunt, & duas insignes scholas*, ut affirmat Laurentius Fabricius in partitione Codicis hebraei cap. 2., & suis vivebant legibus, ut patet ex Prophetia Danielis, Scriptura sacra ita perierit, atque deperdita fuerit, ut nullum penitus illius intactum remanserit exemplar saltem apographum, vel in manibus Prophetarum, quorum tunc non exiguus erat numerus, vel in manibus aliorum illustrium virorum, sicuti erant Mardochaeus, Tobias, alijque plures, qui etiam tempore captivitatis legem Dei perfecte custodiebant.

Porro in Canone isto tunc primum constituto, non continebantur, nisi tantum libri viginti duo, ut testatur expresse Josephus Flavius lib. 1. contra Appionem; nimirum, ut illos ibidem recenset citatus celeberrimus Judaeorum scriptor; *Primo Quinque libri Moysis* Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomius. *Secundo Tredecim libri Prophetarum*, Josue, Judices cum Ruth, libri Samuelis seu I. & II. Regum, libri Regum, nempe III. & IV. libri primus, & secundus Paralippomenon: primus, & secundus Esdrae, Esther, Daniel, Threni seu Lamentationes Jeremiae, Isaias, Jeremias, Ezechiel, XII. Prophetae minores, & *Tertio Quatuor libri Hymnorum*, scilicet Psalmi, Job, Proverbia, Canticum Canticorum cum Ecclesiaste.

Et quia praeter hunc Canonem, ex Esdrina sacrorum librorum collectione constitutum, nullum alium a Synagoga publico decreto, vel conditum, vel recognitum deinceps fuisse certo cognovimus; hinc jure inferri potest, quod extra Canonem Judaeorum semper fuerint, sicuti etiam nunc extra illum esse Judaei universim testantur de libris Tobiae, Judith, Baruch, Sapientiae Ecclesiastici, & Machabaeo-

rum (6). Tametsi etiam isti pro hagyographis, idest non pro profanis, sed pro sacris apud illos habiti sint, & habeantur, ut iterum testatur Josephus Flavius in lib. citato dicens: *Cæterum ab Imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam, sunt quidem singula literis mandata, sed nequaquam tantam fidem, & auctoritatem meruerunt, quantam superiores ij libri* (quos scilicet, ut supra vidimus in Canone Judaeorum contineri affirmaverat) *propterea quod minus explorata fuit successio Prophetarum*.

Quod spectat ad Canonem haereticorum, nihil, quod certum sit, de eo statui potest, siquidem ordinarie loquendo, haeretici expungunt fere communiter ex Cathalogo librorum sacrae Scripturae, ac propterea etiam ex Canone divinorum librorum omnes illos, qui erroribus ipsorum adversantur; sic

(6) Sunt permulti, quibus persuasum est duplicem apud hebræos obtinuisse Canonem sacrorum librorum, unum scilicet apud Palæstinos, in quo non continerentur, nisi tantum libri illi, qui temporibus Esdræ a Synagoga magna tanquam Canonici habiti, & declarati fuerunt; alterum vero apud Hellenistas, sive græcizantes: de quibus docent nonnulli cum Serrario, quod apud illos paulo post tempora Artaxerxis, & antequam facta esset versio LXX. interpretum alius constitutus fuerit Canon, in quo ad illum ab Esdra statutum adjecti fuerint ad Cathalogum divinorum librorum liber Tobiae, Judith, Ecclesiasticus, & Sapientia: alij vero affirmant ulterius cum Genebrardo, quod post illa tempora apud Hellenistas etiam tertius Canon sancitus fuerit publico Synagogae decreto; in quo ad veterem illum adjecti insuper fuerint duo libri Machabaeorum: Verum auctores isti, ut ostendunt, qui materiam istam exprofesso pertractant, non innituntur nisi puris conjecturis: quo fit ut nulla ratione discedere cogamur ab opinione communiori, quae libros memoratos e Canone Judaeorum semper exulasse affirmat.

Manichaei rejiciunt totum vetus testamentum, quod putant a Deo malo dictatum; sicuti capite primo notavimus, & sicut pluribus in locis testatur S. P. Augustinus: & Lutherani fere omnes non recipiunt in suum Canonem alios libros ex veteri testamento, praeter illos, quos Judaei pro Canonicis habent; ex novo autem illos tantum, qui protocanonici sunt, & appellantur.

Porro autem libri Protocanonici, ex veteri testamento sunt, Pentateuchus, seu quinque libri Moysis: liber Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralippomenon, duo Esdræ, Esther, Job, liber centum quinquaginta psalmorum, Proverbia, Canticum canticorum, Ecclesiastes, & libri Prophetarum omnes idest tam majorum, quam minorum: & ex novo testamento, quatuor Evangelia, actus Apostolorum, tredecim Epistolæ S. Pauli; nam quartadecima, idest illa ad Hebræos est deuterocanonica, ut mox dicemus; item prima Petri & prima S. Joannis Apostoli.

Libri Deuterocanonici sunt, qui sequuntur, nempe primo ex veteri testamento liber Esther, quantum ad sex postrema capita, quæ in fonte hebræo non inveniuntur: item Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, & duo Machabæorum: praeterea inter deuterocanonica recenseri debent, Epistola Jeremiae (7) & additiones ad Danielem, scilicet, hymnus trium puerorum, historia ejusdem Danielis secundo in leonum foveam detrusi, historia idoli Belis & dra-

(7) Extat Epistola ista relata in ultimo capite Baruch, & continet exemplar Epistolae *quam misit Jeremias ad abducendos captivos in Babylonem a Rege babyloniorum*: eam autem S. Hieronymus in Praefat. in Jeremiam vocat *Pseudographam* non quia credebat spuriam, sed quia aetate sua non constabat apud omnes, quod esset canonica & divinitus inspirata.

conis, & historia Susannae: quae habentur tantum in exemplaribus graecis, desunt autem in hebraicis: deinde ex novo testamento ad deuterocanonica pertinent caput ultimum Marci a versiculo nono ad finem: historia de agonia Christi, de consolatione angeli, & de sudore sanguineo, quae describuntur a Luca cap. 22. tacentibus Evangelistis cœteris: ulterius etiam historia de muliere adultera, quae refertur a Joanne cap. 8. & versiculus septimus Epistolae primae Sancti Joannis cap. 5. nempe *tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*; ac tandem Epistola Pauli ad hebraeos; Epistola secunda Petri, item Epistola secunda & tertia Joannis, nec non Epistolae Jacobi, & Judae, & Apocalypsis.

His notatis Canon noster, idest Canon Ecclesiae catholicae complectitur ex vi decreti Concilij Tridentini sess. 4. de Canonicis scripturis, libros omnes septuaginta duos supra commemoratos, cum omnibus illorum partibus, tam protocanonicis, quam deuterocanonicis: pugnant autem acerrime adversus Canonem istum haeretici posteriorum temporum lutherani scilicet, Calvinistae, Zuvingliani, & reliqui ab istis saeculo XVI. enati sectarij, contendentes illum illegitime prorsus, & arbitrarie a Concilio Tridentino statutum, & definitum fuisse: quare sit.

Propositio Canon Ecclesiae catholicae a Concilio Tridentino statutus est legitimus & genuinus.

Probat. Ille Canon est legitimus & genuinus, qui & a legitima auctoritate statutus, atque ad legitimos ac genuinos fontes exactus fuit: atqui Canon Ecclesiae catholicae a Concilio Tridentino definitus est hujusmodi; nam primo quod ad legitimam auctoritatem pertinet, profecto auctoritas propria & legitima statuendi & definiendi Canonem sacræ Scriptu-

rae attribui non potest vel Scripturæ ipsi, nam Scriptura non potest discernére seipsam, & statuere quod ipsa est: siquidem absurdum plane est, atque repugnans, ut auctoritas aliqua statuat atque definiat seipsam: sed neque attribui potest privato quorumlibet hominum arbitrio: nam arbitrium privatum hominum quorumlibet est absolute & ex natura sua errori obnoxium, & repugnat omnino statuere regulam certam credendi & agendi, sicuti est Canon sacrae Scripturae, per principium aliquod incertum, & quod per se errori obnoxium est: ergo auctoritas propria & legitima statuendi Canonem sacrae Scripturae attribui non potest, quam soli Ecclesiae. Praeterea auctoritas propria & legitima statuendi Canonem sacrae Scripturae alteri jure competere non potest, quam illi, penes quem, sicuti totius fidei, ita etiam sacrae Scripturae existit depositum: neque enim ab alio quopiam certo sciri potest quinam libri fuerint divinitus inspirati, & contineant verbum Dei minime corruptum, nullaque commixtione humanarum opinionum conspersum, quam ab illa ipsa auctoritate, cui libri illi integri, & tanquam divinitus conscripti primum concrediti, & traditi fuerunt: nam ut in lib. de praescript. cap. 19. recte monet Tertullianus *ordo rerum desiderat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est; quibus competat fides ipsa? cujus sint Scripturæ? a quo, & per quos, & quando sit tradita disciplina, qua fiunt christiani? ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei christianæ, illic erit veritas scripturarum*. At vero tam fidei, quam sacræ Scripturæ depositum non existit, nisi pœnes Ecclesiam: neque enim Apostoli tradiderunt illud cuidam alteri, quam Ecclesijs, quas ipsi auctoritate a Christo accepta per orbem terrarum fundaverunt: ergo auctoritas propria & legitima statuen-

di Canonem sacrae Scripturae alteri jure non potest competere, quam Ecclesiae; unde merito loco citato cap. 21. concludit Tertullianus dicens *quid prædicaverint* (Apostoli) *idest quid illis Christus revelaverit . . . non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt*: & merito quoque S. P. Augustinus in lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. ubi pertractat de discernendis Canonicis Scripturis, hanc regulam statuit, ut pro Canonicis non recipiantur, nisi illae, de quibus constat, quod apud omnes aut saltem apud praecipuas & majoris auctoritatis Ecclesias tanquam canonicae semper habitae fuerint, & habeantur dicens *tenebit igitur hunc modum* (sunt verba S. Doctoris) *in Scripturis canonicis, ut eas, quae ab omnibus accipiuntur Ecclesijs catholicis, præponat eis, quas quædam non recipiunt; in eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt eis, quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent*. Deinde quod Concilium Tridentinum Canonem suum non ad spurios, sed ad legitimos, non ad corruptos, sed ad genuinos fontes exegerit, clarius est, quam ut probatione indigeat, non enim condidit novum Canonem, sed antiquissimum, & in Ecclesia jam receptum auctoritate sua iterum sancivit: nam primo, ut brevitatis causa omittamus, quod etiam modo citatus Sanctus Doctor & Parens Augustinus, qui saeculo IV. Ecclesiae floruit eodem in loco, nempe lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. num. 13. omnes illos libros enumerat tanquam Canonicos, quos Concilium Tridentinum Canonicos esse sancivit, & eo plane ordine, quo a Tridentino recensentur, sane eundem Canonem agnovit, & tenuit Ecclesia Affricana in Concilio Carthaginensi celebrato anno 397. ab Episcopis XLIV. inter quos erat

etiam S. Augustinus & quod a Concilio VI. generali deinceps approbatum & confirmatum fuit: Secundo eundem Canonem statuit quoque Innocentius I. in Epistola ad Exuperium Tolosanum anno 405, in qua eosdem libros canonicos declarat, quos Concilium Carthaginense prædictum in canone suo recensuit, cum hoc tantum discrimine, quod librum Baruch distinctum exhibet, quem laudatum Concilium cum Jeremia, cujus ille scriba erat, conjunctum posuit: tertio Canonem istum rursus explicite statuit S. Gelasius Papa cum suo Concilio Romano LXX. Episcoporum celebrato anno 494. in decreto de Canonicis scripturis: ac tandem quarto Eugenius IV. inseruit illum in suum decretum, quod pro instructione Armenorum constituit in Concilio Florentino generali anno 1439. neque vero ullatenus putandum est, quod vel Patres Affricani in Concilium congregati, vel laudati summi Pontifices in sanciendo sacrorum librorum Canone eundem non derivaverint ex legitimis & genuinis fontibus: nam generatim Patres Affricani, qui in hac re facem prætulisse videntur laudatis summis Pontificibus, in eodem concilio Carthaginensi III. can. 47. in quo libri Canonici singillatim recensentur, manifeste testantur, quod Canonem sanciverint secundum ea, quæ a Patribus de libris sacris tradita acceperant, inquiunt enim *quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda*: ergo Canon a Concilio Tridentino statutus, & fuit constitutus a legitima auctoritate, & simul etiam ad legitimos ac genuinos fontes exactus: adeoque est etiam ipse legitimus & genuinus.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. 1. Ille Canon non est legitimus, qui non fuit a legitima auctoritate constitutus; at vero talis est Canon statutus a Concilio Tridentino: nam primo, Auctoritas Conciliorum, est auctoritas pure humana, siquidem Concilia celebrantur ab hominibus; ergo non est legitima ad statuendum Canonem sacræ Scripturæ; deinde, ut liber aliquis sit divinus, seu canonicus, hoc habet ex eo, quod contineat verbum Dei, non autem ab auctoritate Conciliorum: ergo Canon Concilij Tridentini non fuit legitima auctorirate statutus.

Resp. ad primum *nego min.* Ad primam probat. *dist.* auctoritas Conciliorum est auctoritas pure humana, si spectetur subjective *conc.* secus *nego* falluntur maxime hæretici omnes in eo, quod affirmant, auctoritatem Conciliorum generalium in definiendis, quæ ad fidem, & mores pertinent, esse pure humanam: quanquam enim etiam Concilia generalia universim non sint, nisi conventus hominum, ac proinde etiam illorum auctoritas, si subjective spectetur, idest quatenus inhæret illis, a quibus fidei & morum decreta promanant, non sit, nisi auctoritas humana; attamen efficienter, idest, dum conventus isti actu judicant, & definiunt res fidei & morum, habent aliquid, quod humanam auctoritatem longe superat; nimirum habent assistentem sibi Spiritum Sanctum ex infallibili Christi promissione, Joan. cap. 14. v. 16. ubi Christus inquit *& ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*: & iterum Joan. cap. 16. v. 13. ubi ait, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: ex quo fit, quod decreta de fide & moribus

in Concilio generali emanata, non tam humanæ auctoritati adscribi debeant, quam divinæ; & quod Ecclesia in generali legitimo Concilio congregata de suis fidei & morum decretis semper jure pronuntiare possit cum Apostolis actor. cap. 15. v. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*: quod autem judicium de libris Canonicis, & divinis, seu illud quo statuitur, & declaratur Canon sacræ scripturæ, pertineat ad decreta fidei, certissimum est, & a nemine plane negari potest; etenim cum sacra Scriptura sit præcipuum fundamentum, & prima fidei regula, de fide quoque esse debet, quod ipsa sit divinitus inspirata, alioquin fundamentum, & regula fidei constitueretur per aliquid, de quo non constat, utrum revera divinum sit, & fidem divinam mereatur? ac propterea etiam Canon sacræ Scripturæ a Concilio Tridentino statutus, licet subjective ab hominibus profectus sit, efficienter tamen attribui debet, non tam humanæ auctoritati, qnam Spiritui Sancto, qui Ecclesiam sicut de omni alia, ita etiam de ista fidei veritate edocuit.

Ad alteram prob. *dist.* Auctoritas librorum Canonicoram inhæret libris sacris ex eo, quod contineant verbum Dei, non autem ex auctoritate Conciliorum, si spectentur relate ad se *conc.* si spectentur relate ad nos *nego*. Aliud est librum aliquem esse canonicum in se, & ab intrinseco, aliud vero eundem esse canonicum relate ad nos, & ab extrinseco, ab intrinseco canonicus est omnis ille, qui Spiritu Sancto afflante conscriptus est, & hoc habet a Deo ipso: ab extrinseco autem canonicus est, qui, cum sit divinitus inspiratus, seu afflante Spiritu Sancto conscriptus, fuit etiam legitima auctoritate in cathalogum divinorum librorum publico judicio insertus. Quamobrem licet verum sit, quod

libri sacri, qui Scriptura continentur, a Deo ipso habeant, ut contineant verbum Dei; & ideo pro Canonicis haberi debeant, quia sunt ipsum Dei verbum: nihilominus quia hoc ipsum, quod libri isti sint a Deo, & contineant verbum Dei, nobis certo, & infallibiliter constare non potest, nisi per auctoritatem Ecclesiæ, qua sublata, nec Scriptura, neque ejus sensus nobis certo innotesceret, ut superiori capite probatum fuit: sequitur, quod relate ad nos non alios libros habere possimus pro canonicis, & divinis, nisi illos, quos Ecclesia sua auctoritate canonicos esse solemni judicio declaravit: ac proinde hoc sensu, nimirum si libri sacri spectentur relate ad nos, non sunt Canonici, nisi ex auctoritate Ecclesiæ.

Opp. 2. In Canone a Concilio Tridentino statuto inveniuntur plures libri ex veteri testamento, qui non sunt in Canone Judæorum, nimirum Tobias, Judith, Sapientia &c. Ergo non est legitimus, & genuinus: & revera nam Ecclesia accepit vetus testamentum a Judæis, ergo nullo jure potuit in Canonem referre libros, qui non erant in Canone Judæorum. Præterea Judæi sunt *Capsarij*, & *Librarij* Christianorum: ut ait S. P. Augustinus enarrat. in psalm: 80. non ob aliam rationem, nisi quia ipsi habebant libros, quos tanquam divinos, & canonicos Christiani susceperunt, & Apostolus in Epist. ad Rom. cap. 3. v. 2. affirmat expresse, quod Judæis *concredita fuerunt eloquia Dei*. Igitur illegitime prorsus Concilium Tridentinum constituit Canonem sacrorum librorum.

Respond. ad primum *nego consequentiam.*, nam licet verissimum sit, quod Judæi in suo Canone post Esdram a Synagoga magna statuto non habuerint, neque nunc habeant, nisi libros viginti duos, ut supra ex Josepho Flavio notatum fuit; atque ideo

quod extra illum semper fuerint, & nunc etiam sint Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, & duo libri Machabæorum; inde tamen minime sequitur, quod Concilium Tridentinum illegitime illos in canonem suum receperit; nam ut istud jure sequi ostendatur, necesse est prius ostendere, non solum, quod non haberentur in Canone Judæorum, sed etiam quod non sint vere divinitus inspirati, sive quod idem est, quod non fuerint unquam Canonici; non solum ab extrinseco, sed neque etiam ab intrinseco, quod profecto nulla ratione ostendi potest, ex eo præcise, quod non essent a Judæorum Synagoga in Canonem relati: nam sicut Deus voluit Judæorum Synagogam semper ignorare complures veritates, quas postea in plenitudine temporum Ecclesiæ suæ manifestavit, sicuti est, v. g. Mysterium Trinitatis, quod a Moyse, & Prophetis nonnisi subobscure indicatum fuisse omnes sciunt, ita potuit, tam ipsa, quam Esdras perpetuo ignorasse quosdam in particulari libros, qui Christi, & Apostolorum traditione postea Ecclesiae pro divinitus inspiratis manifestati fuerunt; neque caret maxima probabilitate, imo vero aequissimum est credere, quod Christus Dominus, dum discipulis suis praebuit seipsum vivum post passionem suam per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, ut narrat Lucas in actis cap. 1. v. 3. inter alia, quae tunc ipsis manifestavit ad aeternae salutis doctrinam spectantia, eosdem etiam plene instruxerit circa libros sacros veteris testamenti, ne forte pro divinis haberent, qui tales non erant, aut illos, qui vere divinitus inspirati erant, tanquam profanos negligerent, atque abjicerent.

Si autem quaeratur, quaenam probabiliter possunt esse rationes, ob quas neque Esdras, neque Synago-

ga postea memoratos libros in Canonem receperit? illae diversae esse possunt, & plures: & primo generalem assignat Josephus Flavius in lib. 1. contra Appionem supra laudatus, nempe quia post captivitatem Babylonicam minus explorata fuit successio Prophetarum: altera est, quia libri illi non erant scripti lingua hebraica, ad quam tam Esdras, quam Synagoga vetus in statuendo Canone divinorum librorum unice respexisse videntur; deinde particulares rationes possunt esse etiam, vel quia aliqui, ex illis nondum scripti erant, ut sunt libri Machabæorum, quando Synagoga Canonem suum statuit, vel etiam quia Synagoga nefas esse putabat aliquid ad Canonem sub Esdra statutum superaddere.

Ad primam probat. *dist.* Ecclesia accepit vetus testamentum a Judæis mediate *conc.* immediate *nego.* Sane propositio ista Ecclesia accepit vetus testamentum, & libros in illo contentos a Judæis, intelligi non potest, nisi mediate tantum, neque enim a Judæis edocta fuit suæ fidei doctrinam, sed ab Apostolis, a quibus sicuti fidem, ita etiam libros omnes sacros tam novi, quam veteris testamenti immediate acceptos habet: igitur etiam in statuendo suo Canone sacrorum librorum necesse non erat, ut sequeretur Canonem Judæorum, tanquam unicam, & solam regulam, ad quam exigere deberet, quidquid de libris istis statuendum esset, sed potius Magisterium Christi, & Apostolorum ejus.

Ad alteram probat. *dist.* Judæi ex S. P. Augustino sunt Capsarii, & librarii Christianorum hoc sensu quatenus libri sacri quibus utuntur Christiani erant primum apud eos *conc.* secus *nego.* Nimirum Judæi vocantur generatim Capsarii, & librarii Christianorum hoc sensu *quia omnes ipsæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Judæos sunt, & omnes*

ipsas literas habent Judæi. Quemadmodum inquit idem S. Doctor enarr. in Psalm. 56. minime vero, quia omnes istæ literæ apud Judæos haberentur, & retinerentur in eodem pretio, quo retinentur apud Christianos: & ideo loco mox citato ex hac ipsa veritate, quod Judæi sunt librarii nostri S. P. Augustinus pulcherrime ostendit, quomodo tam Judæi, quam gentiles convinci possunt de veritate religionis Christianæ: etenim expendens ibidem verba quæ habentur in citato Psalmo 56. v. 40. *dedit in opprobrium conculcantes me* inquit *propterea adhuc Judæi sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam: quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas literas. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Evangelio, quod prædicamus, finxerimus prophetas, per quos prædictum videretur, quod prædicamus, hinc eos convincimus: quia omnes ipsæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Judæos sunt: omnes istas literas Judæi habent. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos: in quali ergo opprobrio sunt Judæi? Codicem portat Judæus, unde credat Christianus: librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post Dominos Codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.*

Ad tertiam probat. *dist.* ad Judæos pertinent eloquia dei veteris testamenti ex parte, & non ad solos *conc.* ex toto, atque ad solos *nego*. Certum omnino est, quod non solum penes Synagogam extiterit olim, sed etiam nunc penes Ecclesiam existat; & quidem plenius atque perfectius, quam olim, sicuti fidei, ita etiam sacrorum librorum depositum; & certum pariter est, quod lex vetus non erat perfectio

sed præparatio quædam ad legem novam : nam ut inquit Paulus ad Rom. cap. 10. v. 4. *finis legis Christus ad justitiam omni credenti*. Igitur universim vetus Testamentum, quamvis primario datum esset semini Abrahæ ex Abraham carnaliter genito, spiritualiter tamen, & quatenus semen istud ex Apostolo ad Galatas cap. 3. v. 23. sub lege custodiebatur conclusum *in eam fidem*, *quæ revelanda erat*, pertinet etiam ad Ecclesiam Christi: atque ideo etiam eloquia Dei fuerunt quidem concredita Judæis, sed non omnia, ut supra in prima responsione visum est : neque solis, sed etiam Christianis, qui reputati sunt in semine Abrahæ in Christo, quemadmodum explicite docet Apostolus ad hebr. cap. 1. v. 1. dicens *multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*.

Opp. 3. Complures ex antiquis Patribus dubitarunt sæpe, utrum essent Divini, & Canonici non solum Tobias, Judith, Sapientia, & alii veteris Testamenti Deuterocanonici, sed etiam de diversis, ex novo Testamento, nempe de Epistola ad hebræos, de illis Jacobi, & Judæ, de secunda Petri, de secunda, & tertia Joannis, & de Apocalypsi. Præterea Concilium Laodicenum celebratum circa annum 372. tametsi ex professo tractaverit de Sacris Libris, exclusit expresse de suo Canone quem sancivit, primo libros omnes Deuterocononicos veteris testamenti (8) & secundo etiam Apo-

(8) Nempe ex interpretatione Isidori Mercatoris apud Labbeum Tom. 1. Concilior. pag. 1521. edit. Paris. 1672. in quam consentit etiam interpretatio Gentiani Herveti Canon LIX. praedicti Concilii Laodicaeni ita habet *non oportet ab idiotis Psalmos compositos, et vulgares in Ecclesiis dici, neque libros, qui sunt extra Canonem legere, nisi solos Canonicos novi, et veteris Testamenti*, & Canone LX. recensentur li-

calypsim Sancti Joannis, ac tandem S. Hieronymus in Prologo Galeato post enumeratos libros, qui in Canone Judæorum continentur, de aliis sic pronuntiat: *quidquid extra hos libros est, inter apocrypha ponendum*: ergo Canon a Concilio Tridentino statutus, neque legitimus est, neque genuimus.

Respond. ad primum *dist*. Complures ex antiquis Patribus dubitarunt de Libris Deuterocanonicis tam veteris, quam novi Testamenti, an essent Divini, & Canonici negative *conc*. positive, ita ut eosdem etiam spurios esse positive docuerint *nego*. Omnis dubitatio quorundam Patrum, & Ecclesiasticorum Scriptorum de Libris Deuterocanonicis, si sermo sit de illis veteris Testamenti, consistit in eo, quod illorum divina inspiratio non omnibus æque semper perspecta & cognita fuerit, quæ propterea etiam negativa duntaxat, non autem positiva appellari merito debet;

bri, qui ex mente hujus Concilii tanquam Canonici haberi debent in Ecclesia in hunc modum: quae autem oporteat. Legi & in auctoritatem recipi, haec sunt *Genesis mundi*, *Exodus Ægypti*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Jesus Nave*, *Judices*, *Ruth*, *Regnorum libri quatuor*, *Paralippomenon libri duo*, *Esdra duo*, *Psalmorum 150.*, *Proverbia Salomonis*, *Ecclesiastes*, *Cantica Canticorum*, *Job*, *Hester*. *duodecim Prophetae*, *idest Osee*, *Amos*, *Joel*, *Abdias*. *Jonas*, *Michaeas*, *Naum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggaeus*, *Zacharias*, *Malachias*: *item Isaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*: *Novi autem Testamenti Evangelia quatuor secundum Mathaeum*, *secundum Marcum*, *secundum Lucam*, *secundum Joannem*, *Actus Apostolorum*, *Epistolae Catholicae septem*, *Jacobi una*, *Petri duae prima*, *et secunda*, *Joannis tres*, *prima*, *secunda*, *et tertia*, *Judae una*, *Epistolae Pauli quatuordecim ad Romanos*, *ad Corinthios prima*, *et secunda*, *ad Galatas*, *ad Ephesios*, *ad Philippenses*, *ad Colossenses*, *ad Thessalonicenses prima*, *et secunda*, *ad Timotheum prima*, *et secunda*, *ad Titum*, *ad Philemonem*, *ad Hebraeos*.

neque aliud ostendit, nisi hoc, quod nempe traditio de istorum librorum divinitate, clara quidem fuerit apud plures tam Ecclesias, quam Patres singulares, obscura autem apud alios, & forte apud aliquos etiam plane incognita: inde tamen minime videtur, quomodo concludi merito possit, quod illegitime in Canonem Divinorum librorum relati fuerint: nam licet complures hoc modo, negative scilicet, de illis dubitaverint, an essent Divini, & Canonici, nullus tamen produci potest, qui illos aperte, & positive inter libros spurios rejecerit: imo vero nullo unquam tempore defuerunt alii, qui eosdem expresse tamquam Divinos, & Canonicos agnoverunt, & palam venerati sunt, ut productis illorum testimoniis ostendunt inter alios Bellarminus, & Daniel Huetius (9) ac

(9) Testimonia Patrum, quae in hanc rem a Theologis producuntur magis conspicua sunt quae sequuntur; nimirum liber Tobiae laudatur tanquam divinus & a Spiritu Sancto dictatus a S.Polycarpo Sancti Joannis discipulo, a Clemente Alexandrino, a S. Basilio Magno, a S. Cypriano, a S. Ambrosio, atque a S. P. Augustino: ut notat Calmet in Praefat. ad Tobiam: de libro Judith constat quod fœminam istam proposuerint tanquam exemplum fortitudinis Clemens Romanus in Epist. ad Corinth., Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. Tertullianus de Monogamia, & S. Ambrosius de Offic., & Origenes vocat libros Judith, Tobiae, & Sapientiae simul cum libro Esther, qui omnium consensione semper tanquam Canonicus habitus fuit, *Divina Volumina* homil. 27. in Numeros, ubi ait *His ergo cum recitatur talis aliqua DIVINORUM VOLUMINUM lectio, in qua non videatur aliquid obscurum, libenter accipiunt: verbi causa, ut est libellus Esther, aut Judith, vel etiam Tobia, aut mandata Sapientiæ*, de libro autem hoc postremo, nimirum de Sapientia in lib. de Praedestin. Sanctor. cap. 14. inquit S. P. Augustinus *non debuit repudiari sententia libri Sapientiae, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum tam longa annositate recitari, et ab omnibus Christianis Episcopis usque ad extremos laicos*

proinde Ecclesia insistendo istorum auctoritate potuit illa jure, & merito in Canonem Sacrorum Librorum reponere non obstante, quod de illis complures olim dubitaverint.

Dictum est si sermo sit de libris veteris Testamenti nam de Deuterocanonicis novi Testamenti, puta de Epistola S. Pauli ad Hebræos de secunda Petri, de tertia, & secunda S. Joannis &c. Nullus unquam ex Sanctis Ecclesiæ Patribus dubitavit, neque nunc dubitant Ecclesiastici scriptores, an sint Canonici, & Spiritu Sancto ispirante conscripti, sed tantum dubitarunt olim aliqui, an essent revera illorum, quibus attribuuntur: quod hic probe notandum est, ad repellendum hæreticorum, maxime vero Lutheranorum pervicaciam, qua inficiantur Judæ, & Jacobi Epistolas Canonicas esse, & authenticas; quia de illarum auctoribus aliqui dubitarunt.

Ad alterum *dist.* Concilium Laodicenum exclusit idest omisit ex suo Canone libros Deuterocanonicos veteris testamenti & Apocalypsim S. Joannis *conc.* secùs *nego*. Mirum plane esse non debet, quod etiam

fideles pœnitentes, catechumenos cum veneratione divinae auctoritatis audiri. Deinde librum Ecclesiastici tanquam divinum agnoverunt Clemens Romanus, & Clemens Alexandrinus, item Origenes, Tertullianus, Cyprianus, & alii laudati a Cornelio a Lapide in Prolegom. cap. 3. imo ex hoc libro Patres fere omnes tam Graeci quam Latini, quod hic probe notandum est, saepe testimonia depromunt tanquam ex sacra scriptura: tandem quod ad libros Machabaeorum spectat isti palam comendantur pro divinis a Tertulliano adversus Judaeos cap. 4. a S. Cypriano in lib. de Exhortat. ad Martyr. cap. 2. a S. P. Augustino lib. 18. de Civit. Dei cap. 36., & ab aliis apud Calmet Praef. in lib. Machab. apud quem Praef. in Apocalyps. videri quoque possunt testimonia, quae explicite probant etiam hunc librum jam V. Ecclesiae saeculo communi consensu inter canonicas scripturas locum habuisse.

Concilium Laodicenum celebratum ex probabili opinione circa annum 372. in Canonem suum non receperit tam libros omnes deuterocanonicos veteris testamenti, quam etiam Apocalypsim S. Joannis: nam primo tunc temporis nullus adhuc sacræ Scripturæ Canon publico decreto Ecclesiæ statutus fuerat, ex quo certa redderetur & minime dubia traditio de divinitate omnium librorum sacræ Scripturæ; quandoquidem ille, qui a quibusdam affirmatur statutus fuisse a Concilio Nicæno I. generali anno 325. non comprehendebat, nisi libros novi testamenti; deinde non defuerunt usque ad illa tempora, qui addubitarent præsertim an deuterocanonici veteris testamenti, qui scilicet non erant in Canone Judæorum, sicuti etiam Apocalypsis, vere Canonici essent? ut ex supra dictis non obscure colligi potest: igitur Concilium, ut certa ab incertis discerneret, non recepit quidem libros istos in suum Canonem, interim tamen etiam nihil plane statuit, ex quo colligi possit, quod illos spurios aut supposititios esse existimaverit: ac proinde jure & merito affirmari potest, quod illos simpliciter tantum ex suo canone omiserit, tanquam illos, de quibus non erat constans & explorata Ecclesiarum omnium traditio, atque ea animi intentione, ut libros certos, de quibus scilicet apud omnes jam constabat, quod essent divinitus inspirati, ab incertis discerneret: quod profecto nihil plane impedit, quominus Ecclesia suo tempore, & explorata magis traditione eosdem inter Canonicos numerare, & reponere potuerit, sicuti illos revera numeravit & reposuit paucos post annos Concilium Carthaginense, anno nimirum 397. de quo in probatione, & ante istud etiam aliud africanum Hippone celebratum anno 393. ex quo Carthaginense modo memoratum Canonem suum fuisse mutuatum videtur, ut affirmat Dupinius in Biblioth. nova Ecclesiasticor. Scriptor Tom. 2. pag. 353. edit. Paris. 1693.

Ad Tertium *dist.* Ex S. Hieronymo libri non contenti in canome Judæorum poni debent inter apocrypha sensu largiori, seu quatenus apocryphum idem significat, quod clare non innotescit *conc.* sensu stricto, & quatenus apocryphum significat, quod est spurium, suppostitium, & erroneum *nego*. Vox ista apocryphum duplicem potest habere sensum: primo nimirum significat universim libros, qui publico Ecclesiæ testimonio tanquam divinitus inspirati, & verum Dei Verbum continentes declarati non fuerunt, sive *quorum Origo non claruit Patribus* ut supra ex S. P. Augustino lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. didicimus; & iterum quatenus accipitur ad significandum libros spurios, ac supposititios, qui ordinarie doctrinam christianæ fidei, & moribus repugnantem continere deprehenduntur: & hoc sensu S. Hieronymus in Epist. ad Lætam vocat apocryphos libros omnes qui *occulta hæreticorum mysteria continent*: & S. P. Augustinus loco citato illos, in quibus, *etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, non est canonica auctoritas*. Porro autem quod S. Hieronymus in priori tantum sensu apocryphos nominandos dixerit libros veteris testamenti, qui non habebantur in Canone Judæorum, idest quatenus suo tempore non erat constans & explorata illorum traditio, evidens est, nam in Prologo galeato affirmat etiam illos legi posse in Ecclesia *ad ædificationem plebis*: imo in alijs suis lucubrationibus reponit de facto aliquos ex illis in numero sacrarum Scripturarum: nam in Epist. 40. ad Principium, loquens de Judith, cujus liber est extra Canonem Judæorum, comparat illum cum Ruth & cum Esther, qui certissime sunt canonici etiam apud Judæos, inquit enim *Ruth, Esther, Judith tantæ gloriæ sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint*, & in præfat. in Tobiam, quem ipse in latinum vertit, non dubitat *Pharisæos* vocare, qui librum istum rejiciunt.

CAPUT IV.

De varijs sacræ Scripturæ Versionibus.

Linguam primigeniam, quam Deus ipse Adamum docuisse creditur, post linguarum confusionem, quæ ad reprimendum fastum posterorum Noe in ædificatione turris babelicæ genes. cap. 11. v. 7. virtute Dei ipsius facta fuit, non fuisse extinctam in ista confusione, sed integram & incorruptam permansisse postea penes progeniem *Heberi* vulgata est, & fere communis opinio; & sunt qui existimant, cum S. P. Augustino lib. 16. de Civit. Dei cap. 11. quod ab Hebero isto tam lingua, quam gens ipsa ab illo descendens Hebræa nominata fuerit; quanquam alij etiam doceant, quod progenies Heberi istius nominata quidem fuerit hebræa a vocabulo *Heber*, non tamen quatenus est nomen familiæ, sed quatenus idem significat ac *trans*, ita ut *hebræi* dicti sint quasi *trans Euphratæi*.

Porro lingua ista hebræa, quæ etiam simpliciter *lingua sancta* vocatur, ideo præsertim, quia Deus ipse, sicut Adamo primum, ita cæteris postea Patriarchis in illa locutus fuisse creditur, permansit ex omnium consensu ita pura & incorrupta penes progeniem istam ad captivitatem usque babylonicam: si autem sermo fiat de subsequentibus temporibus, sunt permulti, qui post S. Hieronymum in prologo galeato cum Richardo Simonio contendunt, quod eadem jam in ipsa captivitate magnam mutationem subiverit, ita ut illa soluta, libri sancti ab Esdra postea scripti fuerint non amplius hebraicis sed chaldaicis characteribus, quibus hebræi in longa illa captivitate septuaginta annorum assuefacti erant, & quod antiqui hebraeorum characteres una cum eorum lingua hac occasione ad

Samaritanos transmigraverint: cui opinioni contradicit expresse Laurentius Fabricius in partitione Codicis Hebræi cap. 2. ubi ait: *Diversos olim ab eis, qui hodie extant, characteres hebræis fuisse asserenti Hieronymo in Prologo galeato non credimus, quod sine ulla ratione firma asserat, nempe veteri characterum forma perdita ab Esdra novam inventam: si tale quid Esdras, vel Nehemias, quorum hic suarum laudum diligens est buccinator, & ob hoc nonnullis putatur fuisse Sadducæis addictus, invenisset, neuter id in sua historia reticuisset: constat autem ex utroque neque sacrum Codicem prorsus amissum fuisse, neque a lectione sacra populum cessasse, atque ideo veterem scripturam integram remansisse etiam in captivitate Babylonica, in qua suas Synagogas habuerunt, & duas scholas.* Et post pauca ibidem subjungit dicens: *Proinde statuimus omnino eosdem olim extitisse hebræos characteres, qui hodie extant, nec hebræos suas literas, vel a chaldæis, vel a Syris mutuatos, vel a chananæis fuisse, tanquam a minus nobilioribus, & mysteriorum Dei ignaris; nec Deum suam ita deseruisse Ecclesiam, ut sua universim testimonia perderet.*

Verum utrum ista Fabricij opinio de characteribus post captivitatem apud hebræos usitatis jure præferri debeat sententiæ S. Hieronymi, quam ante illum, tanquam rem omnibus exploratam, tenuit etiam Eusebius Cæsariensis in Chronico, & tenent nunc sacræ Scripturæ interpretes fere communiter, nostrum non est definire: interim tamen certum est, & consentiunt omnes, quod libri veteris testamenti omnes scripti primum fuerint lingua hebraica, si excipiantur. *Primo* liber primus Esdræ, & Prophetia Danielis, qui partim hebraicis, & partim chal-

daicis characteribus scripti feruntur (1). *Et Secundo* Tobias, & Judith, qui chaldaice, item Ecclesiasticus, & primus Machabæorum quos Syriace scriptos fuisse eruditi existimant: item liber Sapientiæ, quem originaliter nunquam exstitisse nisi græce conscriptum affirmat Augustinus Calmet: ac tandem secundus Machabæorum, qui pariter græce primum scriptus fuisse creditur.

Libri omnes novi testamenti scripti primum fuerunt lingua græca teste S. Hieronymo in Epist. 125. ad Damasum, & S. P. Augustino in lib. 1. de consens. Evang. cap. 4. excepto Evangelio S. Mathæi, quod hebraice, seu ut alijs placet Syriace, idest idiomate ex Chaldeo, & Hébræo mixto, & tunc Judæis Palæstinis usitato, atque vernaculo conscriptum fuisse constat: non desunt tamen, qui existimant Evangelium Marci, & Epistolam Pauli ad Romanos latine scripta fuisse (2), & hebraice Episto-

(1) In libro primo Esdræ chaldaice primum videntur scripta imprimis Epistola *Reum* & *Samsai* ad Artaxerxem cap. 4. vers. 9. & hujus Responsio a vers. 18. & Epistola ad *Darium* cap. 5. a versu 7. atque hujus *Edictum* cap. 6. a versu 3. usque ad 13. ac tandem aliud *Edictum* Artaxerxis cap. 7. a versu 11. ad finem: atque in Prophetia Danielis omnia illa quibus Propheta alios loquentes inducit; sicuti sunt v. g. colloquium Nabuchodonosoris cum chaldæis cap. 2. a vers. 3. ad 12. item ejus *Edictum* cap. 3. a vers. 98. & alia his similia.

(2) In hanc opinionem relative ad Evangelium Sancti Marci propendet etiam Baronius: ea autem probari solet a suis auctoribus præsertim ex duplici capite: nempe primo ex eo, quod Marcus Evangelium suum Romæ scripserit, illo tempore quo usus linguæ græcæ, ut ipsi putant ex Urbe penitus eliminatus jam fuerat primo quidem edicto Tiberij, & deinde etiam edicto Claudij, de quibus videri potest Svetonius in Tiberio cap. 71. & in Claudio cap. 16. & secundo etiam ex eo, quia antiquissimum exemplar hujus Evangelij, quod Venetijs asser-

lam ejusdem Apostoli ad hebræos. Verum ut affirmat Augustinus Calmet in Prolegom. in libros novi testamenti, sententia istorum caret omni idoneo fundamento: ex quibus concludi debet, quod textus hebraicus relate ad vetus testamentum, & græcus relate ad novum textus *originales*, seu *fontes* sacræ scripturæ appellari debeant.

Quia autem non solis Judæis, & Græcis, sed etiam cæteris nationibus totius mundi lux Evangelicæ veritatis innotescere debebat, & successive etiam maxima ex parte jam innotuit, necesse fuit, ut sacra Scriptura paulatim transferretur in varias linguas tam orientales, quam occidentales, pro diversitate nationum, ad quas evangelium Christi ab Apostolis, & illorum successoribus perlatum fuit: ex quo factum est, ut successu temporis innumeræ propemodum prodiverint hujusmodi translationes, atque ita Scriptura sacra non solum in lingua hebraica, & græca, sed præterea etiam in innumeris fere alijs translata existeret.

vatur, & propria manu S. Marci conscriptum affirmatur, ab eruditissimo Montfauconio, qui illud proprijs oculis conspexit, & examinavit, ut ipse testatur in suo diario Italico, inventum fuit latine scriptum, non autem græce: verum rationes istæ non videntur rem penitus conficere: nam primo, Romani ut notat Calmet Præfat. in Marcum ætate S. Marci non obstantibus edictis Imperatorum, de quibus tractat Svetonius in Tiberio & Claudio, græco perinde ac latino sermone utebantur *ne familiis quidem exceptis*: deinde quod spectat ad exemplar Evangelij Sancti Marci authographum, ut dicitur, quod Venetijs asservatur, dubitant complures, an Codex ille sit vere manu Sancti Marci conscriptus, an potius exemplar quoddam latinæ versionis, quam temporibus Apostolorum intra Italiam adornatam fuisse omnes fatentur, & nos quoque hic infra adnotabimus; præsertim quia etiam narratio historica de modo quo Codex iste in manus Venetorum pervenit, nihil certum pro hac

Porro translationes hujusmodi, sicuti etiam textus ipsi originales, hebraicus scilicet relate ad vetus testamentum, atque græcus relate ad novum vocantur communi nomine Versiones, & brevitatis gratia reduci solent ad quatuor classes, nempe 1. ad Textus Originales hebraicos scilicet, & græcos. 2. ad Versiones græcas veteris testamenti. 3. ad Versiones latinas, & 4. ad Versiones vernaculas.

De Versionibus hebraicis veteris testamenti duo generatim notanda sunt: nempe primum falli, & fallere eos, qui exemplaria ista magna ex parte a Judæis depravata, & corrupta fuisse existimant atque deprædicant (Vid. Cap. I. Not. 21.), secundum autem falli quoque, & fallere etiam illos, qui cum Calvino textum hebraicum, sicuti illum nunc habemus, & habent Judæi in illorum Synagogis, ex integro

opinione subministrat, nam narrant, quod Marcus post Petri Martyrium ex Urbe Alexandriam profecturus Aquilejam pervenerit, quod refertur etiam, & narratur a Bollandistis in actis S. Marci ad diem 25. Aprilis, & S. Hermagoræ primi Aquilejensium Episcopi ad diem 12. Julij, & quod occasione ista civibus illis authographum istud, ut prætenditur, Evangelij sui in pignus sui amoris ibi reliquerit: narrant etiam quod anno 1350. Carolus IV. Imperator Aquilejam profectus Fratrem suum Nicolaum, qui tunc erat Patriarcha illius Civitatis, invisurus, duos quaterniones annuente Fratre ab authographo isto distraxerit, eosque alteri Fratri suo Ernesto Pragensium Archiepiscopo recondendos in thesauro Ecclesiæ suæ scriptis ad illum literis transmiserit, & quod reliqui quinque quaterniones, postquam Aquileja in Civitatem Foro-Juliam, incertum quo anno, & quo fato antea exportati fuissent, tandem anno 1420. procurante Thoma Mocenico tunc Venetorum Duce Venetias ex prædicta civitate iterum perlati fuerint: ex quibus profecto nihil aliud deduci potest, nisi quod antiquissimus quidem sit codex ille, incertum tamen utrum Marci manu revera scriptus sit.

purum, & primigenio per omnia conformem esse autumant, sicuti faciunt hæretici, lutherani, & protestantes, qui vulgatam nostram latinam de qua mox infra, reprehendunt tanquam minus sinceram, eo quia non in omnibus cum textu illo perfecte consentit: constat enim quod non secus in textum hebræum, quam in græca, & latina exemplaria, partim ob incuriam librariorum, & ammanuensium, & partim etiam ob similitudinem literarum æquivocarum, quæ in lingua hebraica frequentissima occurrit, plura menda irrepserint; quod tamen intelligendum est de mendis accidentalibus, non vero de substantialibus (3).

Ad versiones sacræ Scripturæ hebraicas pertinent Chaldaica, Syriaca, & Samaritana vetus; quæ postrema non complectitur, nisi solum pentateuchum.

(3) Non caret magna probabilitate, quod Judæi hoc modo, idest in accidentalibus subinde Scripturam studiose vitiaverint, ut non obscure deduci potest ex S. Hieronymo, qui hebræis Codicibus omnium maxime fidem adhibuit: nam comment; in Epist. ad Galat. expendens Verba Deuteron. cap. 21. v. 23. *maledictus omnis qui pendet in ligno* conjicit, quod Judæi ad contumeliam Jesu Christi in textum hunc intruserint verba *a Deo*: & in eodem Comment. affirmat quod Judæi ex verbis illis quæ refert Paulus ad Galat. cap. 3. v. 10. nempe *maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis* & quæ desumpta sunt ex deuteron. cap. 27. v. 26. malitiose expunxerint voces istas *omnis* & *in omnibus* ex quibus dependet tota vis argumenti quod pertractat ibidem Apostolus adversus Judæos, qui justificationem suam reponebant in observantia Legis, & postquam ostendisset, quod ipse in sua versione voces illas ex Codice Samaritano supplere coactus fuit: concludit dicens *frustra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere quæ scripta sunt, cum antiquiores alterius quoque gentis literæ id positum fuisse testantur.*

Sed de his videri meretur præprimis Brianus Walton in Prolegomenis ad sua Polyglotta, ubi plura habentur etiam de triplici Targum, idest de Jerosolemitano, Babylonico, & Persico, quæ tamen, ut judicant eruditi, sunt potius Paraphrases, quam veræ versiones sacræ Scripturæ.

Quod spectat ad Versiones græcas veteris testamenti, ex his decem celebriores numerantur a Bellarmino: prima, de qua tamen vix aliquid certi habemus, creditur facta fuisse ante tempora Alexandri Magni, seu antequam Judæis lingua græca familiaris esset, a Theopompo, & Theodacto, quorum alter mente, alter vero oculis per dies bene multos captus fuisse traditur a Josepho Flavio in lib. 12. Antiquit. Judaic. eo quod sacram Scripturam ausu temerario ad gentes vernacula lingua efferre tentassent.

Altera, eaque celeberrima est LXX. Interpretum, quæ pro temporum diversitate diversam sortem subivit, non solum apud Judæos, qui illam modo susceperunt ut divinam, modo vero etiam aperte rejecerunt; sed etiam in Ecclesia Christi, ut ex illis, quæ de ea hic infra dicentur magis patebit.

Tertia est illa, quam elucubravit Aquila, non ille, cujus meminit Lucas actor. cap. 18. v, 2., & apud quem Ephesi hospitatus est Paulus in 1. ad Corinth. cap. 16. v. 19., sed alius Synope in Ponto natus, qui propterea etiam Ponticus dicitur, gentilis primum, qui ab Adriano Imperatore, eo quod esset non ignobilis mathematicus, constitutus superintendens ad publica ædificia, & jussus reædificare Jerosolimam, quam Imperator a suo nomine Æliam deinceps appellari voluit, cum occasione ista Jerosolymis cognovisset evangelicam veritatem, suscepto baptismate Christianus fieri voluit: sed non multo

post propensus in astrologiam judiciariam ab Ecclesia expulsus, & ad Judæos deficiens plenus odio erga Christi Ecclesiam, repudiata versione LXX. qua tunc Ecclesia communiter utebatur, novam istam ex textu hebræo versionem aggressus est circa annum Christi 129. in qua textui hebræo ita tenaciter insistit, ut etiam ethymologias nominum in græcum transferre conatus sit: & quamvis S. Hieronymus in Epist. ad Marcellam testetur se in illa versione plura reperire, quæ ad fidem nostram roborandam pertineant, non desunt, qui affirmant, quod non semper bona fide se gesserit, præsertim in interpretandis illis, quæ ad Christum pertinent, (Vid. Cap. I. Not. 21. ad finem).

Quarta est, quam imperante Commodo circa annum Christi 185. elaboravit Theodotion Ephesinus, sive ut alij volunt, Ponticus etiam ipse, discipulus Tatiani, qui fuit Magister, & dux Encratitarum docentium inter alios errores, quod Christus apparenter tantum passus sit; primum Marcionis hæresiarchæ sectator, & postea proselytus Judæorum: versio ista erat olim in magno prætio apud Christianos, quamvis facta esset a manifesto Apostata in fide: & relate ad Prophetiam Danielis legitur etiam nunc in Ecclesia græca.

Quinta est Symmachi ex Samaritano Judæi, ex Judæo Christiani, & ex Christiano hæretici Ebionitæ, qui versionem suam anno nono Severi Imperatoris, idest circa annum Christi 200. perfecisse asseritur: de ea in Prælim. ad Hexapla Origenis cap. 6. num. 5. inquit Montfauconius: *Interpretatio Symmachi clarissima, & eloquentissima est omnium. Res ille, ut plurimum apte ac dilucide exprimit: non verba singula scrupulose referre studet, ut Aquila; non LXX. Interpretes presso vestigio sequitur, ut Theo-*

dotio: sed vel in difficillimis locis sensum ita legenti exhibet, ut statim intelligatur; hebraismos raro sectatur: summopereque curasse videtur, ne quicquam in græca serie poneret, quod græcum lectorem hebraice ignarum offendere posset (4).

Sexta est incerti auctoris, quæ communiter Hierichuntina vocatur ab urbe Hiericho, ubi ab Origene, ut refert Eusebius in hist. Eccl. lib. 6. cap. 16. Temporibus Antonini Caracallæ Imperatoris in veteri quodam Dolio abscondita reperta, & inventa fuit.

Septima est pariter incerti auctoris, quæ Nicopolitana nominatur, quia Nicopoli tempore Alexandri Severi Imperatoris in veteri quadam turre latens reperta est: quæ tamen subinde in paraphrases liberius expatiatur, ut testatur modo laudatus Montfauconius in Prælim. in hexapla Origenis cap. 8. numer. 4., & in Hexaplis passim.

Octava est Origenis Adamantij. Nona Luciani Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri, qui pro fide Christi in persecutione Maximini Martyr occubuit: ac tandem decima est Hesichij; qui ab aliquibus creditur ille qui in Ægypto Martyr occubuit, & de quo pertractat Eusebius in hist. Eccl. lib. 8. cap. 13, & a Fabricio in Biblioth. Græca lib. 4. cap. 35. §. 5. Alexandrinus Grammaticus, qui sæculo III., vel IV. floruerit:

Porro tres istæ postremæ versiones parum diffe-

(4) De tribus istis græcis versionibus, nimirum Symmachi; Theodotionis, & Aquilæ, affirmat S. Hieronymus Præfat. in Job auctores illarum *multa mysteria Salvatoris subdola interpretatione celasse*: ut supra cap. 1. Not. 21. notavimus: atque hinc forte Justinus Iræneus, & alij antiquioresPatres occasionem acceperunt cur Judæos universim accusaverint, quod sacram Scripturam in odium Christianæ religionis corrumpere ausi sint; ut ibi dictum est.

runt a versione LXX. Interpretum, & ex illorum testimonio, qui easdem propius olim inspexerunt concludi debet, quod fuerint potius emendationes versionis LXX. interpretum, quam versiones novæ, & proprie dictæ.

Cum autem quatuor versiones primi nominis, nempe LXX., Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi jam primis Ecclesiæ sæculis admodum raræ factæ essent, Origenes vir amplissimæ eruditionis, & mirabilis plane memoriæ, ne illæ ex toto perirent, collegit easdem in unum volumen ita dispositum, & ordinatum, ut in unaquavis pagina singulæ quatuor distinctis columnis separatæ exhiberentur: quod opus propterea denominatum fuit *Tetrapla*.

Huc pertinent ***Hexapla***, & *Octapla* ejusdem: illud complectebatur præter quatuor versiones modo recensitas etiam textum hebraicum in una columna hebraicis, & in altera græcis characteribus descriptum: in *Octaplis* autem continebantur insuper versiones Hierichuntina, & Nicopolitana; ex quibus patet quod tam *Tetrapla*, quam ***Hexapla***, & ***Octapla*** nihil aliud sint, quam diversæ Collectiones sacræ scripturæ diversarum græcarum versionum veteris testamenti in unum volumen redactæ: dolendum autem valde est, quod de singulis istis Origenis lucubrationibus, sicut etiam de Versionibus Aquilæ Theodotionis, & Symmachi, modo non supersint, nisi fragmenta quædam apud veteres Scriptores hinc inde dispersa, & novissime post Flaminium Nobilium, & Joannem Drusium a Bernardo Montfaucon summo studio duobus voluminibus comprehensa, & edita Parisijs 1713.

Dictum est supra ex omnibus græcis versionibus celeberrimam esse illam, quæ LXX. interpretum appellatur: nec immerito, nam ea antecellit reliquas

omnes, tam antiquitate, quam auctoritate, & primo quidem antiquitate, quia excepta illa Theopompi, & Theodacti, de qua nos nihil certo scire supra notavimus, prima est omnium. Auctoritate vero, quia non solum in primitiva Ecclesia, sed etiam in veteri Synagoga tanquam divinitus inspirata habita fuit, quamvis hebræi postea illam tanquam spuriam universim abjecerint.

Ejus autem historia secundum magis communem Scriptorum sententiam est sequens: nimirum anno circiter 250. ante Christum natum Demetrius Phalereus, Athenis in exilium pulsus confugit Alexandriam Ægypti, & cum ibi a Ptolomæo Philadelpho, qui tunc Ægypto imperabat, præfectus fuisset celeberrimae Bibliothecae, quam partim Ptolomaeus Lagus ipsius Philadelphi Pater, partim vero Philadelphus ipse quadrigentorum mille voluminum copia (5),

(5) Permulti adaugent numerum istum ex Agellio lib. 6. cap. ultimo ad septingenta mille volumina: ex quibus facile colligi potest quam ampla & quam spatiosa fuerit celebris ista Bibliotheca, quæ tamen bello civili Pompejano tota igne absumpta fuit ex Justo Lipsio in Syntagm. de Bibliothecis cap. 2. tametsi enim tunc temporis volumina essent exiguæ molis, & subinde non constarent nisi unico parvo vel corticis vel pellis folio circa se convoluto, ingens tamen illorum numerus ingens quoque fere exigebat spatium, ut ordinate collocaretur, ac proinde facta comparatione cum Bibliothecis nobis cognitis, unusquisque percipiet, quantum nostræ ab illa distent: sic ut de re domestica loquamur, Bibliotheca nostra, quæ sane inter præcipuas, non solum Urbis, sed etiam Orbis tam loci capacitate, quam numero & qualitate librorum non infima est, neque postrema, & quam noster Angelus Rocca, a cujus nomine *Angelica* vocatur, cum esset Sacrarij Pontificij Præfectus legato suo firmato anno 1614. & impetrato prius beneplacito Apostolico in forma Brevis expedito a Clemente VIII. anno 1595. & deinceps etiam a Paulo V. an-

ex Seneca de tranquillit. cap. 9. locupletaverat, persuasit ille Regi maximum decus huic suae Bibliothecae accessurum ex eo, si in illa haberentur in graecum versi etiam libri sacri Judaeorum: Porro autem Ptolomaeus Rex hac persuasione captus, & incensus desiderio, ut versio ista, quam accuratissime fieret, ablegavit magnificam legationem ad Eleazarum Jerosolymis tunc summum Judaeorum Pontificem; ex primoribus sui Regni Principibus comparatam eo fine, ut ab ipso exquireret viros suae gentis lingua tam hebraica quam graeca peritos, qui opus istud juxta Regis desiderium in se susciperent, & libros illos sub oculis suis in græcum verterent. Et Eleazarus, postquam regios legatos splendidissime excepisset, volens petitioni Regis satisfacere, elegit illico ex singulis duodecim tribubus suae gentis viros sex in utraque lingua praedicta peritissimos, quos etiam Alexandriam misit, una cum sacris libris aureis characteribus, ut fertur, exaratis, ut ibi opus, ad quod evocati erant, sedulo complerent; tum vero Rex Philadelphus viris istis benigne, & comiter

no 1609. confirmato vigintiduo mille voluminum copia instructam esse jussit, tum maxime cum una tantum in Urbe Vaticana pateret, & quæ postea accessione celeberrimæ Bibliothecæ Emi Card. Dominici Passionei, atque donatione plurium Voluminum Card. Norisij & Lucæ Holstenij, nec non integræ, & eruditæ Bibliothecæ Illmi ac Rmi Præsulis Francisci Xaverij Christiani pariter Sacrarij Pontificij Præfecti, numero librorum plurimum increverit, & in diem quoque incrementa accipit munificentia Illmi & Rmi Præsulis Josephi Bartholomæi Menocchio actualis Sacrarij Pontificij Præfecti, nondum tamen numerus voluminum pervenit, nisi ad 64. circiter millia, præter 1794. Codices manuscriptos, inter quos 563. veteri manu exarati inveniuntur, & unus VII. Ecclesiæ sæculo Syriaca lingua descriptus.

exceptis commisit praedicto Demetrio, ut illos perduceret in Insulam *Pharum* ponte septem stadiorum tunc cum Civitate Alexandria junctam ex Philone lib. 2. de Vita Moysis cap. 2. Quod cum factum esset, tum vero viri illi septuaginta duo, sex scilicet ex unaquaque duodecim tribuum, qui tamen vulgo semper LXX. vocantur, propter numerum rotundum, compleverunt ibi opus suum, ad quod suscipiendum evocati fuerant intra dies septuaginta duos, ut communior tenet opinio : quo facto, & completa sic intra breve istud temporis spatium versione, Demetrius, vir omni scientiarum genere praeditus, perlegit illam publice, praesentibus interpretibus, & coram universa multitudine, tam graecorum, quam hebraeorum, qui hac occasione Alexandriam confluxerant, acclamantibus omnibus *bene omnia translata fuisse*: & Rex ipse Ptolomaeus, de prospero ac felici successu votorum suorum plene contentus, jussit eandem sic publice acclamatam deinceps religiose etiam in praedicta sua Bibliotheca asservari, & sollicite custodiri permissis tantum Principibus Judaeorum, & Synagogae, ut exemplaria inde ad eorum usum describere possent.

Primus omnium, qui hujus versionis meminit, & ex quo caeteri deinceps acceperunt, est *Aristæas*, graecus, & antiquissimus scriptor, qui in libello, quem de hoc argumento conscripsit, se Regis Ptolomaei familiarem, & unum ex legatis ad Eleazarum missis aperte ostendit (6).

(6) Nihil quidem fere est in tota historia Judæis æque quam Christianis magis probatum, quam quod tempore Ptolomæi cujusdam in Ægypto regnantis jam longe ante Christum natum Scriptura sacra ex hebræo in græcum translata fuerit; sunt tamen non pauci inter modernos criticos, quibus fere in usu

Disputatur autem in scholis, utrum solum Pentateuchum, seu legem, an vero totum vetus testamentum, sicuti tunc in Canone Judæorum habebatur, interpretes isti in graecum veterint: cui disputationi occasionem praecipue praebuit Josephus Flavius, in eo quod in Proemio Antiquitatum Judaicarum, dum de ista versione mentionem facit, utitur generali expressione dicens, quod legem in graecum veterint; & licet sint complures, qui solum Pentateuchum translatum fuisse ajunt, eo quia iste solus stricte loquendo nomine legis intelligitur: attamen

jam positum est omnia fere, etiam ob levissimas causas, revocare in dubium, qui scilicet etiam libellum istum Aristeæ non genuinum, sed suppostitium esse existimant, inter quos post Ludovicum Vives, qui primus fuisse creditur, qui Comment. in cap. 13. lib. XI. de Civit. Dei S. P. Augustini historiam istam in dubium vocaverit, etiam Josephus Scaliger in animadvers. ad annum 1734. ad Chronicon Eusebij Tom. 2. pag. 132. & seqq. edit. Amstelod. 1658. totus est, ut ostendat libellum istum a recentiori quodam Judæo Hellenista confictum, & Aristeæ suppositum fuisse; & quamvis momenta, quæ pro sua opinione eo loci producit, gravia videantur, his tamen non obstantibus in historica narratione secuti sumus hunc potius libellum cum majori theologorum parte, quam mentem criticorum istorum, ob hanc potissimam rationem, quia non solum Josephus Flavius, Philo Alexandrinus, Tertullianus, Cyrillus, & alij fere omnes veteres scriptores, qui profecto temporibus Aristeæ proximiores fuerunt, ac propterea melius cognoscere poterant, quænam esset de hac re majorum constans & explorata traditio, quam moderni Critici, sed etiam Sanctus ipse Hieronymus, qui tamen non semper in Versionem LXX. benigne se gerit, pluribus in locis confugit ad auctoritatem Aristeæ, & testimonia, quæ inde producit, respondent accurate cum libello de quo hic est sermo, sicuti illum nunc habemus; ut observat Bellarminus in lib. 2. de Verbo Dei cap. 6.

quia aliunde notum est, quod Judaeorum scriptores nomine legis etiam saepe totum vetus testamentum significant, & quia praeterea major pars Sanctorum Ecclesiae Patrum, dum apud eos sermo occurrit de ista versione, etiam Prophetas commemorat: probabilius esse videtur, a viris illis omnes libros veteris testamenti, qui apud Iudaeos habebantur in Canone, idest exceptis tantum Tobia, Judith, Sapientia, Ecclesiastico, & duobus Machabaeorum, translatos revera fuisse.

Deinde incongruum plane non est, imo vero est prope certum, quod Interpretes isti versionem suam perfecerint in communi, & simul conferendo, non autem, ut Justinus, Iraenaeus, & alij nonnulli putant, in cellulis sive domunculis separatis inclusi, ita ut unusquisque seorsim integram versionem per seipsum absolverit: nam quod ad cellulas, seu domunculas istas separatas spectat, de illis neque apud Aristaeam, neque apud Josephum, ulla fit mentio, ut advertit S. Hieronymus Praefat. in Pentateuch. dicens: *nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo extruxit, cum Aristæas, & multo post tempore Josephus nihil tale retulerint*. Ac proinde si conjectura uti licet, rudera illa Cellularum, quae Justinus in cohortat: ad Gentes narrat sibi ostensa fuisse a Judaeis quibusdam Alexandrinis, cum hac persuasione, quod essent illarum, in quibus Interpretes illi versionem, unusquisque suam, separatim perfecerunt, probabiliter non fuerunt, nisi rudera domuncularum, in quibus singuli Interpretes seorsim studio, & orationi vacare solebant: quemadmodum putat Brianus Walton in Prolegom. ad Versio. LXX. Interpretum num. 9.

Quod autem ad hujus versionis auctoritatem pertinet, imprimis consentiunt Scriptores celebriores

omnes, quod ex eadem deinceps elaboratae, & eductae fuerunt Versiones Arabica, Æthiopica, Armena, Illirica, Gothica, & quae merito primo loco nominanda erat, etiam antiqua Itala, sive vulgata latina vetus; qua tota Ecclesia Occidentalis constanter usa fuit usque ad septimum saeculum, ut mox infra dicemus: deinde certissimum est, quod Christus ipse, & Apostoli eandem sua auctoritate consecraverint: neque enim in allegandis Scripturis ex veteri testamento hebraica, ~~sed ista~~ potius LXX. Interpretum versione perpetuo, & constanter usi sunt: ex quibus jure concludi potest, quod eadem in sua origine accuratissima, & exactissima fuerit, ita ut nihil plane in illa inveniretur, quod substantiae fidei quoquomodo esset contrarium; sicuti etiam, quod interpretes illi, non pura humana industria, sed dirigente eos Spiritu Sancto versionem istam perfecerint.

Ubi tamen notandum est, quod non semper in illo statu, in quo primum ab auctoribus suis elaborata fuit, etiam permanserit, nam primo dubitari non potest, quod eandem Judaei, praesertim post Christi natalem, in odium Christianorum, quos sciebant illa communiter uti, jam tempore Apostolorum, ubicunque, & quandocunque licuit, contaminare non omiserint: siquidem certum est, quod eam convicijs suis proscindere nunquam cessarunt, contendendo, quod hebraeo textui non esset conformis: deinde dubitari quoque non potest, quod deinceps, ex insidijs haereticorum non parum, quoque deturpata fuerit, maxime vero illo tempore, quando Ecclesia Latina suam vulgatam adhibere incaepit, & multo magis, quando comparuit versio Sancti Hieronymi: his tamen non obstantibus nunquam a Christianis tanquam abortiva palam rejecta

fuit, licet antequam emendaretur, vere ad illum jam statum redacta existeret, in quo vix ullam amplius in Ecclesia Latina visa sit habere auctoritatem saltem extrinsecam & relate ad nos, nam quod ad auctoritatem intrinsecam pertinet, eam retinuit semper.

Dictum est *in Ecclesia Latina*, nam Ecclesia Graeca ea semper usa fuit, & nunc etiam utitur: ex quo fit, quod omnes illae depravationes, & corruptiones tam a Judæis primum, quam postea ab hæreticis factae non essentiales, & quæ substantiam fidei, & morum respicerent, sed accidentales tantum existimari debeant: alioquin enim sequeretur, quod Ecclesia Graeca jam a longo tempore genuinis scripturis sacris destituta existeret, quod absurdissimum est, & divinae Providentiae plane repugnans.

Postremo de hac Versione speciatim hic notandum est, quod ad ejus emendationem curam suam, ac sollicitudinem omnem sæpe quoque impenderunt diversi Summi Pontifices; & primo quidem Gregorius XIII., & qui eum in Pontificatu proxime secuti sunt: postea vero etiam Sixtus V. qui conquisitis undique melioris notæ exemplaribus, & adhibitis quoque in lingua græca versatissimis viris, eam tandem a mendis expurgatam authenticam, idest in substantialibus minime corruptam declaravit, edito solemni decreto die 6. Octob. 1586. in quo statuit dicens *Volumus, & sancimus ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, ut vetus græcum Testamentum juxta LXX. ita recognitum, & expolitum ab omnibus recipiatur, & retineatur, quo potissimum ad latinæ vulgatæ editionis, & veterum Sanctorum Patrum intelligentiam utantur, prohibentes, ne quis de hac nova græca editione audeat imposterum vel addendo, vel demendo aliquid immutare* (7).

(7) Duo sunt, quae ad versus authenticitatem hujus ver-

Nunc quantum ad Versiones latinas pertinet, istæ jam tempore S. P. Augustini erant adeo frequentes,

sionis praecipue urgent adversarii: nimirum primum, quod versio ista multis in locis plurimum discrepat tam a textu Originali hebraeo, quam a latina nostra Vulgata: alterum vero, quod annos a Mundo condito ad adventum Christi plurimum adaugeat, & primo usque ad diluvium annis 586., & deinde a diluvio usque ad nativitatem Abrahae 880. Ex quibus sequitur, manifesta contradictio, & maxima sacrae chronologiae turbatio: nam cum Mathusalem v. g. juxta computum LXX. natus sit anno 1287., & vixerit annis 969., & diluvium caeperit juxta eundem computum anno 2242. sequitur primo, quod vixerit annis 14. etiam post diluvium; ubiautem quaeso, vivere potuit in anno ipso diluvii? profecto non in arca? in qua salvati non fuerunt, nisi octo animae ex 1. Petri cap. 3. v. 20. idest Noe cum uxore sua, & tres ejus filii cum uxoribus suis? igitur nullibi: deinde ex computo illo sequitur quod Christus natus sit anno mundi 5199. cum tamen ex communi fere chronologorum sententia verus natalis ejus figi debeat circa annum 4000. Verum licet haec primo aspectu gravia appareant, neminem tamen jure commovere debent: nam primo universim tam discrepantes lectiones, quam differentiae chronologicae, quae occurrunt in versione ista LXX. interpretum non continent quidquam, quod fidei, & moribus contrarium sit, ut adeo haberi non debeat pro authentica: neque enim, ut a postremis exordiamur, ad substantiam fidei ullo modo pertinet, quod Christus natus sit anno 4000., mundi potius, quam anno 5199. aut quod Mathusalem mortuus sit ante vel post diluvium: praeterea neque fidem evertunt ea quae in Versione LXX. a textu hebraeo, sicuti illum nunc habemus, discrepare inveniuntur: quid enim ad fidem pertinet, utrum v. g. Zachariae cap. 12. v. 10., legamus *videbunt in quem transfixerunt* sicut Joannes cap. 19. v. 37., ex textu hebraeo ad literam expressit, vel etiam *adspicient ad me pro eo quod insultaverunt* sicut habent LXX. interpretes? utrum Psal. 39. v. 7, legendum sit cum hebraeis *aures autem perforassi mihi*; an cum LXX. *corpus autem perfecisti mihi*? an Psal. 67. v. 19. legamus cum Apostolo ad Ephes. cap. 4. v. 8. *dedit dona hominibus*, an vero ut habent In-

ut de illis idem S. Doctor in lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 11. scripserit, *qui scripturas ex hebraica lin-* terpretes *accepisti dona in hominibus*; & postremo, utrum sex nomina quibus Isaias cap. 9. v. 6. Messiam denuntiat, dicens, *et vocabitur nomen ejus admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus*, *Fortis*, *Pater futuri saeculi*, *Princeps pacis* comprehendantur sub una tantum simplici, & mysteriosa denominatione, ut faciunt Interpretes nimirum *et vocatum est nomen ejus magni consilii Angelus*. Deinde varietates, tam modo memoratae, quam reliquae omnes, quae occurunt in LXX. possunt habere diversam originem, nam primo, quoniam Interpretes isti, ut ait S. P. Augustinus lib. 2. de consens: Evangelist. cap.66., *eo Spiritu interpretati sunt*, *quo et illa*, *quae interpretabantur*, *dicta fuerunt*, poterant diversimode reddere multa, quae habebantur in codice hebraeo; unde inquit idem S. Doctor lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. *Spiritus Sanctus auctoritate divina potuit aliquid praetermittere*, *et aliquid addere*, *etiam ut hinc ostenderetur*, *non humanam fuisse*, *in illo opere servitutem*, *quam verbis debebat interpres*, *sed divinam potius potestatem*, *quae mentem replebat*, *et regebat interpretis*. Praetera quid prohibet, quin diversitas ista, si non omnis, saltem magna ex parte refundatur vel in imperfectam linguae hebraicæ notitiam etiam inter Judaeos, ipsosque illorum Rabinos, jamdiu, & diversis abhinc saeculis regnantem, vel etiam in Judaeorum malitiam? Sane enim, ut observatum est supra Nota 3. Hieronymus ipse, licet Codices hebraeos prae omnibus maximo studio ubique secutus sit, increpat tamen Judaeos, & de omissione vocum *Omnis*, & *omnibus*, quae tamen habentur in Versione LXX. Deuter. cap. 27. v. 26. & de adjectione vocabuli. *A Deo* ad Textum Deuter. cap. 21. v. 23. *maledictus omnis qui pendet in ligno*, ut adeo recte hic concludi posse videatur cum Joanne Morino Praefat. ad Versionem LXX. Sixti V., & Clementis VIII. auctoritate recognitam edit. Paris. 1628. num. 15. ubi inquit. *Quisquis igitur Judaeos falsationis*, *et imposturae postulaverit*, *discrimenque ingens*, *quod inter textum hebraeum apparet*, *et Septuaginta editionem in eorum malignas corruptiones rejecerit Sanctorum Patrum vestigia mentemque consequetur*, quia scilicet mirum valde est, & concipi omnino non potest, quo-

gua in græcum verterunt, numerari possunt. latini autem interpretes nullo modo: nihilominus præ-

modo Ecclesia tota primitiva versione ista adeo constanter usa est, si in se corrupta esset, & minime genuina, ut adeo merito quoque ibidem conquaeratur auctor celeberrimus modo laudatus dicens *saepius certe miratus sum, qui fieri potuit, ut tot viri docti Judaeos crediderint codices suos illaesos, et incorruptos conservasse: Christianos vero editionem quam ab Apostolis acceperunt, quam canonicam credebant, cui unice innitebantur, statim violasse, et adulterasse. Bona verba, quaeso, Ecclesia Christiana basis est, et columna veritatis; quam fidem perfidis Judaeis illi* (haeretici) *asserunt, eandem saltem nos Christiani Ecclesiae vindicemus*. Tandem quod spectat ad chronologicam differentiam: non est omnino inconveniens, vel repugnans illorum opinio, qui putant computum LXX. potius verum esse, & genuinum, eó quod Ecclesia antiquitus annos a mundo condito juxta chronologiam istam numerare consuevit, & nunc quoque Martyrologium Romanum annuntiat secundum illam Nativitatem D. N. J. C. ad 25. Decembris: neque implicat, quod Mathusalem juxta eam supponi debeat non esse mortuus, nisi anno 14. post diluvium: nam licet scriptura affirmet, quod tempore diluvii octo animae tantum salvae factae sint per Arcam, nihil plane impedit, quin singulari Dei providentia illo tempore salvaretur Mathusalem in remota aliqua terrae parte, etiam extra Arcam, & post diluvium terrae cognitae iterum restitueretur, eo ferme pacto quo Elias per turbinem 4. Reg. cap. 2. v. 11., & Henoch, Mathusalae hujus Pater repentino raptu Genes. cap. 5. v. 24. in ignotam mundi plagam translati superstites servati sunt, & servantur mortali corpore, secundum plurium, eorumque insignium Theologorum sententiam, nondum exuti: sane enim in hac re nihil esse absurdum nihilque repugnans affirmat etiam S. P. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 11. & doctissimus Calmet laudat pro hac opinione in artic. *Mathusalem* Eusebium in Chronico, & Syncellum in sua Chronologia: deinde missa hac opinione, quae puram conjecturam minime excedit, fatendum est, quod in computo annorum a Creatione Mundi in Versionem LXX. potius, quam in exemplaria hebraica error irrepserit, sicuti jam fere com-

cipuæ illarum sunt tres, nimirum *antiqua Itala*, *Hieronymiana*, & *latina vulgata*.

Prior, idest *antiqua Itala* sic dicta, non a lingua, sed a regione, idest, quia in Italia primum elaborata fuit, est omnium latinarum Versionum antiquissima, & probabiliter jam temporibus Apostolorum, vel certe non diu post ab auctore incerto elucubrata: ea autem, quantum ad vetus testamentum deducta fuit ex Versione LXX. Interpretum, & unica ferme permansit in publico Ecclesiæ usu usque ad sæculum IV. in quo S. Hieronymus, *ne Judæi*, ut ipse ait in Præfat. in Isaiam, *de falsitate scripturarum Ecclæsiis Christi diutius insultarent*, aliam elaboravit adhibitis, & collatis inter se codicibus emendatissimis undique conquisitis, & viris in lingua hebraica peritissimis, in qua vetus testamentum in latinum transtulit, non ex textu græco, LXX. Interpretum, ex quo, ut modo dictum est, deducta erat antiqaa Itala, sed ex textu Originali hebræo, novum autem jussu Damasi Papæ ad fontes græcos correxit, & emendavit.

Porro autem Versio ista S. Hieronymi quantum ad novum testamentum, fuit statim summo plausu, & magna concordia recepta ab omnibus Ecclesijs, non ita tamen quantum ad vetus: nam relate ad istud improbarunt illam per multi, non solum privati viri Ecclesiastici, sed etiam Episcopi, inter quos S. P. Augustinus unus fuit ex praecipuis, qui illam nunquam passus est legi in sua Hipponensi Ecclesia,

muniter statuunt Theologi, quocumque demum modo hoc factum fuerit, idest, vel errore, vel malitia Ammanuensium; neque tamen inde sequitur quod immerito declarata sit authentica, quia scilicet ut supra dictum est, error chronologicus substantiam fidei corrumpere minime potest.

ut colligi potest ex ejus Epist. 19. ad S. Hieronymum, in qua hujus rei rationem reddens inquit, *ne contra septuaginta Auctoritatem, tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures, & corda illam interpretationem audire consueverunt, quæ etiam ab Apostolis approbata est*. Hoc tamen non obstante magnam quoque eo ipso tempore obtinebat auctoritatem, & quia successive demum ab alijs ex integro adoptari caepit, factum est, ut utraque, idest tam antiqua Itala, quae saepe etiam a scriptoribus Ecclesiasticis *vulgata vetus* nominatur, & nova ista S. Hieronymi promiscue in Ecclesijs legeretur, usque ad dimidium fere saeculi VII. nam circa tempus istud comparuit illa, qua nunc utitur Ecclesia, & quam *latinam vulgatam* communiter nominamus: ea autem stricte loquendo vocari non potest nova sacrae Scripturæ versio, nam relate ad novum testamentum continet antiquam Italam jussu Damasi Papae a S. Hieronymo emendatam, & relate ad testamentum vetus est ipsissima fere S. Hieronymi, excepto Psalterio davidico, & libris quibusdam Deuterocanonicis, idest Sapientia, & Ecclesiastico, item libris quoque Machabaeorum, Baruch, & Epistola Jeremiae, cum additionibus Danielis, qui ab Hieronymo versi non fuerunt, eo quod non extarent in Canone Judaeorum; in quibus omnibus latina nostra vulgata parum aut nihil differt ab antiqua Itala: ex quo etiam istud concludi potest, nempe quod universim latina vulgata proprie loquendo non sit, neque versio Hieronymi, neque antiqua Itala, sed tertia quaedam ex duabus istis ab incerto auctore septimo Ecclesiae saeculo composita.

De ista versione, idest de latina vulgata, qua post S. Gregorij Magni tempora patres omnes, &

Doctores communiter usi sunt, in Synodis, in homilijs, in Concionibus, alijsque scriptis, praecipue sciendum est, quod illam Concilium Tridentinum, volens prospicere fidelibus, ut certi redderentur de Verbo Dei, & noscerent, unde desumenda essent certa, & indubia momenta, certae, & infallibiles rationes ad fidei, & morum regulas statuendas, ac confirmandas, prae omnibus alijs latinis versionibus, quae tunc innumerae propemodum existebant, & circumferebantur, tam ab Auctoribus catholicis, quam ab haereticorum magistris evulgatae, Sess. IV. de editione, & usu sacrorum librorum, solemni decreto judicaverit, & definiverit esse authenticam.

Hoc tamen non ita intelligendum est, quasi Concilium latinam vulgatam absolute praetulerit fontibus, ut maligne magis, quam scite conquaeruntur, & criminantur lutherani, & calvinistae; vel quasi nulla prorsus in ipsa inveniantur menda, & errata etiam levioris momenti: nam de fontibus, sive de versionibus in textu originali, tam veteris, quam novi testamenti, nulla plane in illo decreto facta est mentio: imo illo ipso tempore, quo Concilium de ejus authentia decretum suum emanavit, mandavit etiam selectis Doctoribus, ut emendationi illius sedulo incumberent: quod etiam factum est sub Pio IV., sub Pio V., & sub Sixto V. Praeterea etiam post Sixtinam correctionem typis Vaticanis vulgatam anno 1590. fuit iterum emendata summa cura, & summa diligentia sub Clemente VIII., & nemo plane est inter Doctores Catholicos, qui negat, quod non obstantibus tot emendationibus quam diligentissime factis plura adhuc in ea reperiantur, quae corrigi, & emendari possunt, si sermo sit de erratis parvi momenti, & quæ ad substantiam sacrae Scripturae minime pertinent.

Quamobrem ut omnia , quae ad hanc materiam pertinent paucis complectamur ; circa authentiam nostrae latinae vulgatae notandum est, quod ea declarata , & definita fuit authentica hoc sensu , quod licet non sit conscripta ab auctore divinitus inspirato , & infallibilis auctoritatis , quemadmodum scripta fuerunt authographa hebraica, & graeca veteris, & novi testamenti, attamen quia post diligens examen inventa fuit fideliter ubique ex textibus originalibus in latinum translata, & quantum ad substantiam perfecte cum fontibus originalibus consentiens ; item antiquissima , & Sanctis Patribus probata, nihilque contra analogiam fidei, & morum regulam continens , Concilium Tridentinum assistente sibi Spiritu Sancto, statuit, & firmo judicio declaravit, ut prae omnibus alijs latinis versionibus haec sola habenda , & suscipienda esset tanquam authentica , idest tanquam publicum , & probatum sine ullo textuum originalium praejudicio , in fide , & moribus irrefragabile instrumentum, & regula infallibilis auctoritatis .

Praeterea notandum quoque est, quod infallibilis ista vulgatae latinae auctoritas in rebus fidei, & morum considerari debeat sub duplici respectu , nempe ab intrinseco , & relate ad se, atque ab extrinseco, & relate ad nos : generatim enim eo prorsus modo, sicut libri sacri , ut sint Canonici ab intrinseco, & in seipsis , istud non acceperunt neque a suis auctoribus , a quibus scripti fuerunt, neque ab auctoritate Ecclesiae, sed a Spiritu Sancto ; ut supra cap. 3. in Resp. ad primam , & alteram probationem Opp. 1. declaratum fuit : ita etiam versio nostra latina, ut sit authentica ab intrinseco, hoc habet, non ab interprete, sive denique is fuerit S. Hieronymus, ut communis habet opinio, sive alius quis incertus

n 3

auctor, ut nos supra diximus, neque a Concilio Tridentino, sed ab assistente Spiritu Sancto, qui ejus interpretem occulta nobis providentia ita direxit, ut in exemplaria hebraica, & graeca minime corrupta incideret, atque sensum legitimum, & a Spiritu Sancto intentum idonee, & fideliter in ipsa exprimeret, ita ut versio ipsa cum textu originario in rebus fidei, & morum substantialiter omnino conformis esset: atque ita versio ista latina vulgata non accepit a Concilio Tridentino aliam auctoritatem, nisi illam, quae extrinseca dicitur, & relate ad nos, nimirum hoc sensu, quia conformitas ejus cum textu originali, quae illi intrinsece inhaeret, mediante decreto praedicto Concilij Tridentini certo, & infallibiliter nobis innotuit, nam neqne in interpretis neque in Concilij auctoritate positum erat, ut si versio latina alicubi a textu originali substantialiter discrepasset, per illum, vel per istud eidem conformis fieret.

Tandem, ut ad versiones vernaculas progrediamur, nomine versionum vernacularum intelligimus lucubrationes omnes sacræ Scripturæ, quæ in quacunque alia lingua, exceptis tribus principalioribus in cruce Domini nostri Jesu Christi consecratis, nimirum hebraica, quantum ad vetus testamentum, & græca quantum ad novum, atque latina, quantum ad utrumque testamentum simul, evulgatæ fuerunt; & quæ innumerabiles propemodum sunt, apud singulas nationes, ad quas lux Evangelij pertransivit, in lucem emissæ tam a catholicis, quam ab haereticis, quarum historiam magna ex parte contexuit P. Cherubinus a S. Joseph in sua Bibliotheca Criticæ sacræ Tom. IV., & P. Jacobus Lelong in Bibliotheca Sacra: ex quibus tamen nulla plane est authentica, quia nulla ex illis, ut talis ab Ecclesia declarata fuit: & genera-

tim auctoritas illarum, quæ a catholicis Scriptoribus vulgatæ fuerunt, tanta est, quanta esse reperitur uniuscujusque cum vulgata latina conformitas.

De Versionibus autem istis vernaculis duo sapientissime, & provide simul constituit Ecclesia: primum, ne in publicis Ecclesiæ usibus, & præsertim in Missa legantur Scripturæ in lingua vulgari, seu vernacula; sic enim Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 8. statuit: *Etsi Missa contineat magnam populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur*. Alterum autem, ne hujusmodi vulgares sacræ Scripturæ versiones omnibus indiscriminatim legi permittantur, cum juxta IV. Indicis regulam a Sixto V., & Clemente VIII. approbatam: *Experimento manifestum sit, plus inde detrimenti, quam utilitatis oriri ob hominum temeritatem*: dixi tamen omnibus indiscriminatim: nam quantum ad substantiam hujus rei pertinet, jubet eadem regula, *ut in hac parte, judicio Episcopi, vel Inquisitoris stetur, ut cum Consilio Parrochi, vel Confessarij bibliorum a Catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerunt ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant*.

Quandoquidem vero in rebus Theologicis sæpe fit mentio de *Polyglottis*, de *Paraphrasibus*, de *Concordantijs*, de *Commentarijs*, de *Glossis &c.* præsertim cum sermo est in materia de sacra Scriptura; non abs re erit, si hoc loco breviter etiam indicaverim, quid horum nomine intelligi debeat.

Itaque *Polyglotta* vocantur Biblia illa, quæ sunt

diversarum linguarum: & sicut olim Origenes in suis *Tetraplis*, *Hexaplis*, & *Octaplis*, græcas variorum lectiones complexus est, ita etiam Polyglotta exhibent nunc sacræ Scripturæ textum varijs linguis descriptum: numerabantur autem jam sub initium sæculi decimioctavi septemdecim, ut constat ex dissert. historica Bibliothecæ sacræ Paris. ann. 1773. celebriora autem sunt.

Prima Polyglotta Card. Ximenes ex Ord. Minor. S. Francisci Archiepiscopi Toletani, quæ alio nomine etiam Complutensis, & *Tesseraglotta*, idest quatuor linguarum appellatur; & vulgata fuit anno 1515. impensis pro ea sexaginta aureorum millibus.

Secunda Arias Montani, edita jussu Philippi II. Hispaniarum Regis anno 1657., & vocatur: 1. ***Pentaglotta***; quia quinque linguas complectitur. 2. ***Regia***; quia regijs sumptibus excusa fuit, & 3. ***Plantiniana***, & ***Antverpiensis***: quia typis Plantinianis Antverpiæ in lucem prodijt.

Tertia Michaelis le Jay Consiliarij regij, quæ vocatur ***Heptaglotta*** a septem linguis, quas continet, & ***Parisiensis***, quia Parisijs formis Antonij ***Vitrè*** excusa fuit.

Quarta autem, & omnium locupletissima est ***Briani Walton Angli*** edita Londini anno 1657. una cum Prolegomenis eruditissimis in universam Scripturam: & vocatur: 1. Anglica, & ***Londinensis***, quia ut dictum est, Londini in Anglia elaborata, & excusa fuit, & 2. ***Enneaglotta*** a novem linguis, quæ in illa continentur.

Paraphrasis idem est ac Interpretatio: atque definiri breviter potest, quod sit prolixior quædam, & uberior sententiarum sacræ Scripturæ declaratio: & est duplex scilicet ***intertexta***, in qua retentis

sacræ Scripturæ verbis, immiscetur inter illa continuo prolixior ista illorum expositio; *& non intertexta*, in qua retinetur tantum sensus verborum, & mutantur penitus verba.

Concordantia, est omnium vocum in sacra Scriptura reperibilium index alphabetico ordine dispositus cum indicatione totius textus, seu singularis cujuslibet sententiæ, in qua vox aliqua immixta habetur.

Commentarius est diffusior quædam, & studiosa sacræ Scripturæ illustratio: & est vel literalis, quando scilicet per eum investigatur, & declaratur præcipue sensus literæ: vel moralis, & mysticus, quando primario attenditur ad morum præcepta, & ad allegorias, quæ in Scriptura sacra occurrunt.

Glossa est brevis quædam verborum sacræ Scripturæ expositio; & differt a Commentario, quia in hoc non solum Verba, sed etiam res explicantur: & dividitur in *interlinearem*, & in *marginalem*. *Interlinearis* est, quæ inter ipsum textum sacræ Scripturæ breves illas expositiones vocabulorum insertas habet: marginalis vero, quæ etiam *Glossa ordinaria* vocatur, & cujus auctor censetur communiter fere *Wallafridus Strabo* Monachus Fuldensis, est illa, quæ easdem breves expositiones ad marginem Scripturæ appositas, & notatas habet.

Huc accedunt *Catena*, *Postilla*, & *Homilia*. *Catena* est commentarius quidam in sacram Scripturam connexis, ac veluti concatenatis plurium auctorum sententijs compositus; ut iterum dicetur Sect. VI. cap. I.

Postilla est nota brevis, & literalis pro intelligentia textus alicujus ad marginem apposita, & ejus derivatio inde sumpsit originem, quia ante notas hujusmodi apponebatur olim inscriptio ista, *postil-*

la verba, ad significandum, & ostendendum locum illum singularem, ad quem nota illa referenda erat.

Homilia denique nihil aliud est, quam discursus ad populum in quo assumpto prius textu aliquo Scripturæ, oratorie declaratnr, quidquid exinde pro fide, & moribus deservire potest.

CAPUT V.

De diverso Sensu, & Usu sacræ Scripturæ.

Quid nomine sensus alicujus scripti, vel dicti veniat, notius est, quam ut explicari debeat: nimirum nomine sensus generatim intelligitur ipsa vocum significatio, quam verba ex intentione, vel loquentis, vel scribentis ingenerant in animo audientis, vel legentis: ex quibus intelligitur, quod ad verum, & germanum verborum sensum assequendum necesse sit attendere non solum ad verba, sed etiam, imo vero potissimum ad mentem, & intentionem illius, qui aliquid vel loquitur, vel scribit (1).

Sensus sacræ Scripturæ alius est *Grammaticalis*, alius vero *Theologicus*. *Grammaticalis* est, quem

(1) Nimirum Verba de se nihil nos docent; sed vel commemorant ea, quæ scimus, vel admonent tantum quærere, quæ nescimus; ut ostendit S. P. Augustinus in lib. de Magistro cap. 11. ubi inquit: *is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel ulli corporis sensui, vel ipsi etiam menti præbet ea, quæ cognoscere volo. Verbis igitur, nisi verba non discimus: imo sonitum strepitumque verborum; nam si ea quæ signa non sunt, verba esse non possunt, quamvis jam auditum verbum, nescio tamen verbum esse, donec quid significet sciam. Rebus ergo cognitis, verborum quoque cognitio perficitur: verbis vero auditis, nec verba discuntur: non enim ea verba, quæ novimus discimus: aut quæ non novimus, didicisse nos possumus confiteri, nisi eorum significatione percepta, quæ non auditione vocum emistarum sed rerum significatarum cognitione contingit: verissima quippe ratio est, & verissime dicitur cum verba proferuntur, aut scire nos quid significent, aut nescire: si scimus, commemorari potius, quam discere; si autem nescimus, nec commemorari quidem; sed fortasse ad quærendum admoneri.*

verba grammaticaliter, & prout jacent accepta ingerunt. *Theologicus* vero, quem Spiritus Sanctus, qui Scripturam auctoribus sacris inspiravit, verbis ipsis subesse voluit: utriusque autem hujus sensus habemus singulare exemplum in verbis Caiphæ Joan. cap. 11. v. 50. ad Judæos dicentis: *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Quibus ut notat S. Ambrosius in psal. 118. serm. 15. *Aliud dicere volebat, aliud significabat*.

Sensus Theologicus, qui etiam simpliciter sensus sacræ Scripturæ appellatur, est vel *literalis*, & *externus*; vel *Spiritualis*, & *internus*; *literalis*, qui etiam *historicus* nominatur, est quem verba comparate ad res immediate, & proxime significatas exhibent: *Spiritualis* vero, qui etiam *mysticus* vocatur, est quem non verba, sed res per verba significatae tanquam figurae aliarum rerum significant: sic v. g. dum Gen. cap. 16. v. 4. narratur Abrahamum duxisse in uxorem ancillam suam Agar, & ex ea genuisse Ismaelem ibid, v, 15. Factum istud per se, & immediate exhibet sensum literalem, seu externum, & historicum: at vero prout factum istud significabat Synagogam, quae in servitutem generat ex Apostolo ad Galatas cap. 4. v. 24. habet sensum Spiritualem, internum, & mysticum.

Rursus sensus *literalis* alius est *simplex*, & *proprius*, alius vero *figuratus*, & *improprius*; prior est, quem Verba in propria eorum significatione accepta immediate producunt: posterior vero: quem verba improprie, sive figurate accepta pariunt; v. g. cum Christus dicitur: *homo*, vel *filius hominis*, sensus est simplex, & proprius, figuratus autem cum dicitur: *Agnus*, *Leo*, *Vitis*: sic enim ut inquit S. P. Augustinus tract. 80. in Joan. *Dicitur Vitis per*

similitudinem, non proprietatem, quemadmodum dicitur Ovis, Leo, Lapis angularis, & cætera hujusmodi, quæ ipsa magis sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines non proprietates.

Hujus sensus improprij, & figurati multiplex est genus in sacra Scriptura, pro multiplici figurarum genere in ea occurrentium; & dividitur in *metaphoricum*, *metonymicum*, *ironicum &c.* Prout verba Scripturae aliquid significant, vel per metaphoram, vel per metonymiam, vel per ironiam &c., de qua re monet S. P. Augustinus in lib. 3. de Doctr. Christiana cap. 29., dicens: *Sciant autem liberati modis omnibus locutionis, quos grammatici tropos vocant, auctores nostros usos fuisse.*

Quia vero maxime interest probe discernere, quando verba sacrae Scripturae accipi debeant in sensu simplici, & proprio, quando autem in sensu figurato, & improprio; propterea diversi diversas in hac re statuunt regulas, & prae alijs omnibus easdem diligentissime describit, & longo ordine perspicue deducit S. P. Augustinus in lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. usque ad libri finem: interim tamen brevitatis gratia quantum ad universalia principia pertinet, haec una sufficere posse videtur, nimirum; tamdiu verba sacrae Scripturae accipi debent in sensu literali simplici, & proprio, quamdiu in illis sic acceptis, nulla invenitur repugnantia, nullumque inde sequitur, vel absurdum, vel inconveniens: & econtra in sensu figurato, & literali improprio, quotiescumque in Verbis proprie acceptis, vel invenitur aliqua repugnantia, vel etiam exinde consequitur, vel absurdum aliquod, vel inconveniens.

Porro autem in praesenti materia repugnantia est, quando ex verbis in sensu proprio acceptis infertur aliquid, vel evidenti naturali rationi, vel principijs

fidei aliunde jam cognitis manifeste contrarium: absurdum vero quando ex verbis sic acceptis sequitur aliquid, quod communi hominum, maxime vero theologorum opinioni oppositum est, & a Christianae prudentiae regulis dissentaneum: ac tandem inconveniens; quando sequitur aliquid, quod bonis moribus non congruit, aut omnino impietatem spirat. sic cum de Deo dicitur Genes. cap. 6. v. 6. *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo inquit hominem a facie terræ*. Figurata locutio est, quia repugnat Deum ens simplicissimum, & summe perfectum, vel cordis, vel animi motibus quoquo modo mutari: unde lib. I. Confes. cap. 4. S. P. Augustinus Deum alloquens inquit: *Pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium* (2). Sic etiam dum Christus Joan. capit. 10. ver. 16. dicit: *Alias oves habeo, quæ non sunt de hoc ovili*: intelligi debet de ovibus, & de ovili figurate acceptis; scilicet, de gentibus ad Ecclesiam adducendis; quia absurdum est Christum pastoritiam vitam in terris egisse, vel acturum fore: sic etiam illud Math. cap. 5. v. 29. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te*: non proprie, sed figurate accipiendum est, & per similitu-

(2) S. Ambrosius exponens, quo sensu universim, & qua ratione humanæ passiones, quæ in sacra Scriptura Deo tribuuntur, intelligi debent, loquens de Noe & Arca cap. 4. inquit *neque enim Deus cogitat ut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia: neque irascitur, quasi mutabilis, sed ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruerit offensam, tanquam eo usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam*.

dinem: nempe de rebus, quae animabus nostris nocumento esse possunt; quia maxime inconveniens est, imo vero etiam repugnat ut homo seipsum mutilet.

His positis breviter hic observare libet, nihil omnino repugnare, quod in una eademque litera sacrae Scripturae absconditi sint subinde plures, & diversi sensus literales, non solum improprij, quod omnes facile concedunt, sed etiam proprij, sicuti contra Estium defendunt complures etiam graves Theologi (3). Sane enim S. Hieronymus imprimis, & cum eo multi interpretes intelligunt litteraliter verba Oseæ cap. 11. v. 1. *Puer Israel, & dilexi eum, & ex Aegypto vocavi filium meum*. De Israelitis vocatis ex servitute Ægyptiaca, & inde eductis per Moysem, quae tamen literaliter etiam intelligi debent impleta fuisse in Christo post obitum Herodis, ex Math. cap. 2. v. 15. Praeterea praeclarum quoque exemplum, hujus rei producit S. P. Augustinus in lib. 12. Confes. cap. 20. ubi prima Geneseos verba: *In principio creavit Deus cælum, & terram*, quinque diversis modis intelligi posse ostendit, qui omnes literales, & proprij esse videntur (4). Postremo etiam Paulus ac-

(3) In hanc sententiam propendere videtur etiam Doctor Angelicus divus Thomas, præsertim in Artic. 10. quæst. 1. ubi inquit: *quia vero sensus literalis est, quem auctor intendit: auctor autem sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens; ut dicit Augustinus in libro duodecimo confessionum, etiam secundum literalem sensum in una litera scripturæ plures sint sensus*.

(4) Ad hunc locum respexisse videtur S. Thomas superiori nota laudatus: porro autem Verba Sanctissimi Præceptoris nostri sunt, quæ sequuntur; nempe. *Ex his omnibus veris de quibus non dubitant, quorum interiori oculo talia videre donasti*, (ita Deum alloquitur

cipit verba illa psalmi 2. v. 7. *Ego hodie genui te*, primo quidem de aeterna generatione, qua Pater filium genuit, ad Hebr. cap. I. v. 5. Deinde de illius natali in carne humana ibid. cap. 5. v. 5. & in actis Apost. cap. 13. v. 33. accipiuntur proprie etiam de gloriosa Christi ressurretione a mortuis.

Ex his autem intelligitur, quod licet necesse sit omnem sententiam sacrae Scripturae habere suum sensum literalem proprium a Spiritu Sancto principaliter, & primario intentum, dum ea quae scribenda erant, sacris auctoribus inspiravit, attamen nisi sensus iste irrefragabili judicio Ecclesiae jam fuerit determinatus, dubium semper esse possit, quisnam in illis locis, qui plures sensus literales admittunt,

loco citato S. Pater) *& qui Moysem famulum tuum in spiritu veritatis locutum esse immobiliter credunt: ex his ergo omnibus aliud sibi tollit, qui dicit in principio fecit Deus cælum & terram, idest in Verbo suo sibi coæterno fecit Deus intelligibilem, atque sensibilem, vel spiritalem corporalemque creaturam: aliud qui dicit, in principio fecit Deus cælum & terram, idest, in Verbo suo sibi coæterno fecit Deus universam istam molem corporei mundi hujus cum omnibus quas continet manifestis notisque naturis: aliud qui dicit in principio fecit Deus cælum & terram, idest in Verbo suo sibi coæterno fecit Deus informem materiam creaturæ spiritualis & corporalis: aliud qui dicit in principio fecit Deus cælum & terram, idest in verbo suo sibi coæterno fecit Deus informem materiam creaturæ corporalis, ubi confusum adhuc erat cælum & terra, quæ nunc jam distincta atque formata in istius mundi mole sentimus: aliud qui dicit, in principio fecit Deus cælum & terram, idest in ipso exordio faciendi atque operandi fecit Deus informem materiam confuse habentem cælum et terram, unde formata nunc eminent et apparent cum omnibus, quæ in eis sunt*; in quibus profecto omnia proprie accipiuntur, nihilque elucet quod figuratam locutionem sapiat. ut per se patet.

alijs jure praeferri debeat, tanquam solus, & a Spiritu Sancto primario, & principaliter intentus.

Intelligitur etiam, quod necesse non sit, ut sensus iste a Spiritu Sancto primario intentus semper sit ille, qui proxime, & immediate per verba sacrae Scripturae innotescit; atque ideo quod fieri revera possit, ut sensus iste saepe lateat, non in obvia, sed in subtiliori quadam ipsius literae intelligentia: atque ideo jure merito S. P. Augustinus in libris praesertim de Genes. ad liter. vocat expositionem literalem illam, quam ipse *expositione subtiliori*: ut illam vocat S. Thomas in I. Sent. dist. 12. quæst. 1. art. 2., *& quæ* ut ibi subjungit Doctor Angelicus *magis ab irrisione infidelium scripturas defendere videtur*: tam in libris illis, quam in alijs de Civitate Dei instituit de diebus creationis Genesis capite primo commemoratis; idest de *Vespere*, & *mane*, quibus dies temporarij decurrunt, non per corporeæ, sed per spiritualis lucis absentiam, & præsentiam, seu per diversas angelorum cognitiones, quæ absolvuntur in unico instanti, & sine ulla temporis physici intercapedine, a qua interpretatione, dependet recta intelligentia eorum, quæ pertinent ad celeberrimam opinionem, quam in scholis nostris defendimus de simultanea rerum omnium creatione (5).

(5) Ut doctrina ista probe intelligatur, statuendum est primo, quod Angelica natura creata sit prima die creationis, tanquam spiritualis, quæ sicuti dignitate, ita etiam creatione præcedere debuit omnem corporalem creaturam, quæ sequentibus diebus in genesi creata narratur, ut diffuse ostendit S. P. Augustinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 9. & quod propterea illius creatio a Moyse indicata intelligi debeat, dum narrat lucem a Deo creatam fuisse, cum essent tenebræ super terram, & quando dixit *fiat lux*; ut ostendit ibidem

Sed ut revertamur unde discessimus: dictum est, quod sensus Spiritualis sive mysticus sit ille, quem res ipsæ per verba significatæ tanquam figuræ aliarum rerum significant: ex eo autem consequitur, quod attendi semper debeat non penes Verba, sed penes res ipsas per verba significatas, quatenus se-

S. P. ubi etiam concludit dicens *Angeli ipsi sunt lux illa, quæ diei nomen accepit, cujus unitas, ut commendaretur, non est dictus dies primus, sed dies unus*. Deinde notandum est, quod Angeli, statim ac facti sunt *lux procul dubio*, ut ait S. P. in lib. 4. de Gen. ad liter. cap. 24. *universam creaturam, in qua ipsi principaliter sunt conditi, in ipso verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes*: porro autem ista cognitio, qua Angelica natura novit in Verbo *universam creaturam*, considerari debet ex mente ejusdem S. Doctoris duplici modo, nimirum primo quatenus novit seipsam & cætera creata in propria natura, in qua non sunt *quod est Deus* & iterum, quatenus se, aliaque creata ita cognita, *refert ad laudandam lucem, quod ipse Deus est, cujus contemplatione formatur*; ut ait S. P. in loco modo laudato: si primo modo consideretur, tunc vocatur cognitio *Vespertina*, quia versatur circa objectum creatum & mutabile; si autem consideretur secundo modo, & quatenus tendit ad laudandum Deum ipsum, tunc dicitur *matutina*: & ita intelligitur, quomodo ex Vespere & mane compositi sunt dies in Genesi memorati, nimirum ut ibidem inquit S. Pater *quia cæteræ creaturæ, quæ infra ipsam* (Angelicam scilicet) *fiunt, sine cognitione ejus non fiunt, propterea nimirum idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quoties distinguuntur rerum genera creaturum, perfectione senarij numeri terminanda: ut Vespera primi diei, sit etiam sui cognitio, non se esse quod Deus est; mane autem post hanc vesperam, quo clauditur dies unus; et inchoatur secundus, conversio fit ejus, qua id quod creata est, ad laudem referat Creatoris, et percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturæ, quæ post ipsam fit, hoc est firmamenti; quod in ejus cognitione fit prius cum dicitur, et sic est factum; deinde in natura ipsius firmamenti*

cundum similitudinem, vel proprietatem aliquam res alias significant, nec confundi cum sensu figurato, sive literali improprio, qui ex verbis improprie acceptis innotescit.

Sensus autem iste est triplex nempe *Allegoricus*, *Tropologicus*, & *Anagogicus*. Allegoricus est quan-

quod conditur, cum additur etiam postea jam dicto, et sic factum est, et fecit Deus firmamentum. Deinde fit Vespera illius lucis, cum ipsum firmamentum non in Verbo Dei sicut ante, sed in ipsa ejus natura cognoscit, quæ cognitio, quoniam minor est, recte vesperæ nomine significatur. Post quam fit mane, quo concluditur secundus dies, et incipit tertius: in quo iterum mane conversio est lucis hujus, idest diei hujus (nimirum Angelicæ naturæ) *ad laudandum Deum quod operatus sit firmamentum, et percipiendam de Verbo ejus cognitionem creaturæ, quæ condenda est post firmamentum.* His autem positis universim ac principij loco statuendum est, quod sex illi dies, qui in Genesi numerantur, non sint dies materiales, successivi, & inter se diversi, atque distincti per moras temporum, sed dies Spirituales, reales tamen, & inter se diversi, atque distincti, non per respectum ad tempus, quod physice decurrit, sed per respectum ad cognitionem Angelicam, quatenus uno eodemque temporis spatio ferebatur ad diversa opera, & ad distinctas rerum productiones: qui tamen etiam ipsi numerantur tanquam naturales, ut sex genera rerum, quæ in prima creatione Angelicis mentibus in Verbo Dei *per quod facta sunt omnia et sine quo factum est nihil*, objiciebantur, ab infirmioribus etiam tanquam distincta cernerentur, sicut innuit S. P. in lib. imperfecto de Genes. ad litt. cap. 7. dicens *in libro illo* (scilicet Genesis) *quasi morarum per intervalla factarum a Deo rerum digesta narratio est, ut ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, per hujusmodi ordinem dispositionis, quasi istis oculis cerneretur.*

Atque hæc, quantum ad intelligentiam nostri systematis: quod autem Deus tam Angelicam, & spiritualem, quam mundanam omnem, & corporalem creaturam, quæ cœli terræque ambitu continetur simul, idest eodem temporis phy-

do rerum, factorumque figuris aperiuntur nobis mysteria, quæ vel jam impleta sunt in nova lege, vel in futurum implenda expectantur; idest quando rebus, vel factis significatur aliquid ad Christum, & ejus Ecclesiam pertinens: sic Jonas de quo in ejus Prophetia cap. 2. v. 1. *Erat in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus*; in statu isto per allegoriam fuit typus seu figura Christi per triduum in sepulcro relate ad corpus, & apud inferos relate ad

sicl momento creaverit, diversis momentis ostendi potest: ex quibus magis obvia sunt primo, quæ legimus Gen. cap. 2. v. 4. nimirum *istæ sunt generationes cœli et terræ in die quo creavit Dominus cœlum et terram, et omne virgultum agri antequam orivetur in terra*, quæ verba expendens S. P. Augustinus in lib. 5. de Genes. ad lit. num. 3. inquit *procul dubio cogit eo modo se intelligi cœlum et terram commemorasse, quomodo facta sunt, cum factus est dies: deinde cum dictum esset fecit Deus cœlum et terram, additum est, et omne viride agri, quæ certe manifestum est tertia die facta; unde liquidius apparet eundem illum esse unum diem, quem fecit Deus, quo repetito factus est, et secundus, et tertius, et cæteri usque ad septimum diem*. Deinde Ecclesiasti. cap. 18. v. 1. legitur *qui vivit in æternum creavit omnia simul*: at vero simul creata dici non possunt, quæ diversis temporibus producta sunt: ut S. P. dilucide ostendit tum in lib. imperf. de Genes. ad litter. tum in libris 12. de eodem argumento, & alibi sæpe. Præterea primis tribus diebus non erat sol, neque luna, ergo dies illi non erant dies naturales, nam dies naturales constant motu solis ab oriente in occidentem, & ab occidente in orientem: neque intelligi potest, quomodo sol & luna a Deo ipso positi sunt *ut dividerent diem ac noctem, et essent in signa et tempora, et in dies, et in annos*, ut legitur Genes. cap. 1. v. 14. si antequam sol crearetur & luna, jam extiterunt tempora, & tres integri jam effluxerunt dies: quod argumentum pertractans S. P. lib. 2. de gen. ad lit. cap. 14. inquit *quis non videat quam obscure positum sit quarto die cœpisse tempora, quasi supe-*

animam manentis Math. cap. 12. v. 42. sic etiam serpens aeneus, quem Moyses Num. cap. 21. v. 9. *Posuit pro signo*, cujus aspectu sanarentur, qui percussi a serpentibus ignitis fuerant; de quo fit sermo ibidem, vers. 6. erat figura Christi pro salute mundi in cruce exaltati Joan. cap. 3. v. 14., & matrimonium inter Adam, & Evam Gen. cap. 3. v. 24. erat allegorice Sacramentum magnum in Christo, & Ecclesia, ex Epist. ad Ephes. cap. 5. v. 32.

rius triduum sine tempore praeterire potuerit: quis ergo animo penetrat, quomodo illi tres dies transierint, antequam inciperent tempora, quae quarto die dicuntur incipere? Tandem unum quodque opus, quod a Moyse describitur factum in uno aliquo die, Deus utique non fecit per intervalla morarum temporis physici, sive per diversa & continuata unius diei horarum vigintiquatuor spatia, sicut facere solent opera sua humanarum artium opifices, sed in unico momento temporis, sicut indicat Moyses ipse dum v. g. vers. 3. ait *dixit Deus fiat lux, et facta est lux*: & vers. 9. *appareat arida, et factum est ita*: quibus manifeste docet, quod singula creata ad unicum divinae vocis imperium producta fuerint, igitur sicut distinctum & singulare quodlibet vespere & mane genesis cap. 1. commemoratum quibus dies temporarij constituuntur non significant materiales temporum moras, quas Deus in rerum singolarium productione insumpsit, sed unicum illud instans, quo res ipsae ad Dei nutum existere coeperunt, ita etiam sex dies non sunt distincti inter se materialiter, sed relative tantum: ac proinde sicut singula creata, ita etiam omnia simul in unico temporis physici momento creata fuerunt.

Attamen, quod hic praecipue notari debet, consistit in eo, scilicet, dum in scholis nostris existimamus, quod omnia simul creata sunt, putandum non est, quod sicut Angelica & spiritualis, ita etiam mundana quaelibet natura in primo illo istanti creationis rerum omnium in propria sua aspectabili forma visibilis extiterit: nam universim duplex distinguimus, & accurate distingui debet mundanarum rerum genus, unum nempe illa-

Sensus tropologicus, qui etiam moralis vocatur est, quando sub rerum, & factorum involucris significatur aliquid ad morum instructionem pertinens: sic ex eo, quod Adam prior formatus est, & ex illo deinceps Eva, & quod hæc a serpente prior seducta est, docet Apostolus mulierem debere esse subjectam viro in 1. ad Timoth. cap. 2. v. 12., &

rum, quae proxime & immediate productae fuerunt ex nihilo, sicuti sunt *lux*, *firmamentum*, *sol*, *luna*, *et stellae*, quarum productio annuntiatur simpliciter per Verbum *fiat*, & ista statim ac producta sunt, apparuerunt in propria sua & visibili forma: alterum vero illarum, quae proxime, & immediate non fuerunt producta ex nihilo, sed vel de terra; sicuti sunt herba virens & faciens semen juxta genus suum, *lignumque faciens fructum*, *et habens unum quodque sementem secundum speciem suam*. Gen. cap. 1. v. 12. item anima *vivens in genere suo*, *jumenta et reptilia*, *et bestiae terrae*, ibid. vers. 24. atque etiam homo ipse, quem quantum ad corpus formavit Deus *de limo terrae*. Genes. cap. 2. v. 7. vel etiam ex aqua, sicuti sunt omnis anima vivens atque motabilis, *et omne volatile secundum genus suum*, Genes. cap. 1. v. 21. quarum productio annuntiatur terminis complexis nimirum *germinet terra*, *producant aquae*, *producat terra*, *et formavit Deus*. Et ista omnia extiterunt creata primo in materia, ex qua producta fuerunt, nimirum vel in terra, vel in aqua tanquam in semine, & postea apparuerunt in propria sua, & aspectabili forma: jam vero postrema ista non spectant ad creationem simultaneam, nisi tantum considerata in causis seminalibus, & quatenus etiam ipsa in illo primo instanti creationis rerum omnium jam continebantur originaliter, & causaliter simul producta cum sole, luna, terra in praeexistente materia, idest vel in terra ipsa, vel in aqua, ex quibus postea tanquam ex semine educenda erant: de caetero autem considerata in visibili, & aspectabili propria illorum forma, pertinent ad dies naturales, in quibus Deus quolibet die operatur Joan. cap. 5. v. 17. & de quibus S. P. Augustinus in lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 6. affirmat, *haec enim jam per moras temporum fiunt*, *quae tunc non erant*, *cum fecit omnia simul*,

Christus ipse Math. cap. 24. v. 37. proponit nobis diluvium tanquam imaginem Judicii futuri dicens *sicut autem in diebus Noe ita erit & adventus filii hominis*, idest ex improviso, ut nos ad vigilantiam exhortaret: & universim lepra literaliter significans malam corporis habitudinem scilicet *pustulas in cute & carne diversi coloris, & pilos in album muta-*

unde etiam tempora inciperent.

His notatis, ut breviter etiam ostendamus qua ratione occurrendum sit argumentis, quibus adversae partis Theologi opinionem istam de simultanea rerum omnium creatione impetere consueverunt: fatemur imprimis, quod Sententia, quae tenet sex dies naturales distingui opportere in creatione operum Dei, communior sit tam apud Patres, quam apud Interpretes: interim tamen certum est, quod Sancta Mater Ecclesia, & Magistra veritatis usque modo neque istam expresse veram esse definivit, neque nostram tanquam falsam proscripsit; ut proinde liberum sit unam vel alteram sequi.

Deinde etiam momenta rationum, quibus illi nituntur, sane non sunt ejusmodi, ut nos a nostra sententia deterrere debeant: nam primo dum ajunt, quod in simplici historia, cujusmodi esse narrationem Moysis de rerum creatione, quantum ad substantiam pertinet inficiari non potest, recedendum non est a sensu literali proprio, hoc verum est, quando ex sensu literali proprie accepto nullum sequitur absurdum vel inconveniens: nunc autem multa sunt in mosaica narratione, praesertim si spectetur relate ad modum creationis, quae plane repugnant, si in sensu literali proprio accipiantur: nam primo quomodo proprie intelligi potest scriptura, cum facta luce, & divisa a tenebris, & inditis diei noctisque vocabulis dicit: *factum est vespere et mane dies unus*? *an forte* ut verbis S.P.Augustini utamur lib.1. de Gen. ad lit. cap. 10. num.19. *Cito quidem lux facta est, sed mora diurni temporis in eo consumi potuit cum discerneretur a tenebris, atque utrumque discretum suis vocabulis signaretur? mirum si et hoc vel tanta mora fieri potuit a Deo, quanta dicitur a nobis*. Deinde ut ibidem num. 20. quaerit S. Pater. *Quod autem vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem, quanta mora fieri po-*

tos colorem: Levit. cap. 15. v. 2., & 3. Tropologice significat pravam animi affectionem, sive peccatum, atque sub animantibus immundis, quæ in veteri testamento arcebantur a sacrificiis, reprehenduntur quoque oblationes profectæ ab immunda conscientia.

Anagogicus deinde sensus est, quando rebus & factis repræsentantur ea, quæ circa Christum & bea-

tuit, etiamsi hoc syllabatim per sonum vocis egisset nisi quanta et a nobis dicitur, lux vocetur dies, et tenebrae vocentur nox. An dicendum est, ut ibi num. 21. prosequitur S. Pater. *Quod cum cito peractum esset hoc opus Dei, tamdiu stetit lux non succedente nocte, donec diurnum spatium perageretur, et tamdiu permansit nox luci succedens, donec spatium nocturni temporis praeteriret, et mane fieret diei sequentis, uno primoque transacto? sed si hoc dixero, vereor ne deridear, et ab iis, qui certissime cognoverunt, et ab iis, qui possunt facillime advertere, quod eo tempore quo nox apud nos est, eas partes mundi praesentia lucis illustret; per quas sol ab occasu in ortum redit, ac per hoc omnibus viginti quatuor horis non deesse per circuitum gyri totius alibi diem, alibi noctem*: Huc accedit quod supra leviter tantum attigimus, nimirum nulla ratione saltem obvia conciliari possunt dies materiales cum obvio pariter, & sensu literali proprio verborum, quae habentur Ecclesiastici cap. 18. v. 1. *qui vivit in aeternum creavit omnia simul*, & tamen ut constet sua scripturæ sacrae autoritas etiam ista conciliari debent *quia* ut ait S. P. Augustinus lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 34. num. 53., *et haec scriptura, quae per memoratos dies narrat opera Dei, et illa quae simul eum dixit fecisse omnia verax est, et utraque una est, quia uno Spiritu Veritatis inspirante conscripta est*, igitur quia *sine ulla dubitatione credendum est omnia contigisse, sicut a Moyse narrantur* ut affirmat S. Pater in lib. 11. de Civit. Dei cap. 7. videtur omnino cum eodem recedendum esse a sensu obvio, & literali proprio, & confugiendum ad sensum Spiritualem in computatione dierum, quia scilicet hoc modo planum fit, & verissimum esse ostenditur *quod per sex dies, quae commemorata sunt. facta sunt. et simul omnia facta sunt*, ut inquit S. P. immediate post verba modo

tos cum illo ia cœlo jam regnantes fiunt: sic primum illud Sabatum, in quo Deus *reqnievit ab universo opere quod patrarat* Genes. cap. 2. v. 2. transfert Apostolus ad designandum Sabatum æternum in cœlesti patria ad hebr. cap. 4. v. 9. dicens *itaque relinquitur Sabatismus populo Dei* sic etiam introitus filiorum Israel in terram promissionis repræsentat anagogice introitum electorum in regnum cœlorum: & universim visiones Prophetarum, & Apocalypsis S. Joannis, plenæ sunt sensu anagogico.

laudata ex lib. 4. de Genes. ad liter. cap. 34.

Dictum est confugiendum esse ad sensum Spiritualem; quod tamen non ita accipi debet, quasi dies isti spirituales & Angelici, sint allogorici, ut qnidam falso arbitrantur; sunt enim veri & proprii dies, & possunt etiam aliquo pacto naturales vocari; non quidem relate ad nos, sed relate ad Angelos ipsos, sicuti explicat S. P. in lib. 4. de Genes. cap. 28. dicens *nec quisquam arbitretur illud, quod dixi de luce spiritali, et de condito die spiritali, et Angelica creatura, et de contemplatione quam habet in Verbo Dei, et de cognitione, qua in seipsa creatura cognoscitur, ejusque relatione ad laudem incommutabilis veritatis, ubi prius ratio videbatur faciendae, quae cognita est facta, non jam proprie, sed quasi figurate, atque allegorice convenire ad intelligendum diem, et vespera, et mane: Sed aliter quidem, quam in hac consuetudine quotidianae lucis hujus corporalis: non tamen tanquam hic proprie, ibi figurate: ubi enim melior et clarior lux, ibi verior etiam dies; cur ergo non et verior vespera, et verius mane? nam si in istis diebus habet quandam declinationem suam lux in occasum, quam vesperae nomine nuncupamus, et ad ortum iterum reditum, quod mane dicimus; cur et illic vesperam non dicamus, cum a contemplatione creatoris creatura dispicitur? et mane cum a cognitione creaturae in laudem creatoris exurgitur.*

Praeterea facile quoque dissolvuntur ea, quae adversarii depromunt ex praecepto Moysis Exodi cap. 20. v. 9. scilicet *sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua, septimo autem*

Ex his patet, quod sensus Allegoricus, & Tropologicus Ecclesiam militantem respiciant, Anagogicus vero triumphantem, de quibus infra suo loco plura dicentur; omnium autem quatuor sensuum sacræ scripturæ munus, & officium ostendit, & explicat vulgare hoc distichon:

Litera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

die Sabatum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo . . . . . sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo. Principio enim respondere possumus, quod sicut requies illa, qua Deus requievit die septimo, & in cujus honorem atque memoriam Moyses praecepit filiis Israel; ut cessarent ab omni opere loco citato, et iterum cap. 31. v. 15. longe differt ab illa requie, qua Judaei cessare jubentur ab omni opere, ita etiam sex illi dies, in quibus *fecit Dominus cœlum. et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt* diversi plane esse debeant a diebus illis, de quibus praecipitur *sex diebus facietis opus*: deinde rectissime, et apposite prorsus probatur honorandum esse diem septimum, etiam propter hanc rationem quam adducit Moyses, quia in eo Deus cessavit, ab omni opere, quod patraverat, tametsi supponatur, quod Deus creavit omnia simul, & in uno temporis physici instanti; nam revelatis Angelicis mentibus sex rerum generibus, quibus tota rerum creatio perfecta fuit, illisque cognitis in Verbo cognitione seu Visione vespertina, & matutina, atque ita constitutis jam sex primis diebus, Angelica mens considerans Deum in seipso, tanquam nihil amplius ad extra operantem, non habuit amplius, quod extra Deum in Dei ipsius laudem referret, ac proinde quievit jam in Deo, & ita constitutus est dies septimus, qui non habet vesperam, & in quo Deus requievit ab omni opere, non utique viribus delassatus, sed quia nulla amplius cognoscebatur, & intuebatur in Verbo producenda creatura, ut eadem per cognitionem matutinam referretur ad laudem Dei: atque ita, sicut inquit S. Pater lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 35. ad finem *ut creatura ejus An-*

Sensus spiritualis, & mysticus est frequentior in veteri quam in novo testamento: cujus rei rationem assignat Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 10. v. 11. dicens *hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quo fines sæculorum devenerunt*, & generatim fuit a Spiritu Sancto intentus, ut sub rebus ipsis fidei, & morum regulæ hominum cordibus profundius imprimerentur.

gelica, quae cognoscendis omnibus operibus ejus in ipso, et in illis, tanquam dies cum vespera praesentata est, nihil post omnia valde bona opera ejus melius cognosceret, quam illum ab omnibus in seipso requiescere nullo eorum egentem, quo sit beatior.

Sed quaeret forte hic aliquis cur Moyses tam in Genesi, quam in Exodo de diebus creationis constanter locutus est tanquam de diebus materialibus, neque ullum indicium præbuit, quo ostenderet dies illos alia, quam obvia significatione accipi posse? cui respondendum est, quia loquebatur cum populo rudi, qui altiora mysteria penitus ignorabat: eo ferme pacto quo etiam Paulus loquens ad Corinthios adhuc carnales affirmat se illis lac potius dedisse, quam escam, & rationem reddens in sua 1. ad illos Epistola cap. 3. v. 1. subjungit dicens *nondum enim poteratis, sed nec potestis adhuc enim carnales estis.*

Ulterius opponi hic potest; dies creationis debent esse tales, quales sunt res creatae, at vero res creatae sunt propriæ & materiales: nam ut de solo homine sermo fiat Deus *creavit hominem ad imaginem suam .... masculum et fœminam creavit eos* Gen. cap. 1. v. 27. *benedixitque illis, et ait, crescite, et multiplicamini*: profecto enim homo factus ad imaginem Dei, distinctus in masculum, & fœminam, & qui potens est crescere, & multiplicari, est proprius, & materialis homo; ergo proprius quoque, & materialis dici, & esse debet dies ille sextus; ac proinde etiam omnis alius creationis dies a Moyse in capite primo commemoratus: Verum etiam ista in scholis nostris facile ex sufflantur: nam ut supra dictum est, de diverso rerum mundanarum genere, in homine du-

Dictum est autem sensum istum esse frequentiorem in veteri quam in novo testamento, nam sæpe occurrit etiam in isto, præsertim in parabolis, in quibus mysticus sensus non solum dicendus est proprius, sed etiam magis proprius, quam literalis, præcipue protunc, quando constat intentionem sacri scriptoris non fuisse illam, ut in sola litera moraretur: sic nuptiæ factæ filio regis Math. cap. 22. historia Eupulonis Lucæ cap. 16. historia Samaritani

plex spectari debet productio: nimirum una in causis seminalibus, & secundum istam creatus fuit cum omnibus aliis mundanis naturis; altera vero in propria, & aspectabili forma, & secundum hanc productus fuit creatione illa, qua Deus usque modo operatur Joan. cap. 5. v. 17. idest in diebus propriis, & materialibus; ut docet S. P. Augustinus lib. 6. de Genes. ad lit. cap. 3. dicens *non est dubium hoc quod homo de limo terrae finctus est, eique formata uxor ex latere, jam non ad conditionem, qua simul omnia facta sunt pertinere, quibus perfectis requievit Deus, sed ad eam operationem, quae fit jam per volumina saeculorum, qua usque nunc operatur:* ac proinde quaecumque in capite primo Geneseos leguntur de homine, idem dicatur de plantis, de arboribus, de piscibus, de reptilibus, & animalibus omnibus, tanquam jam existente in propria aspectabili forma, scilicet quatenus est factus ad imaginem Dei, distinctus in masculum, & fœminam, & potens multiplicare seipsum, ea omnia sic accipi debent, non quatenus jam tunc esset formatus in sua specie homo proprius, & materialis, sed quatenus talis in tempore proxime esse debebat: neque hoc mirum videri debet: nam Angeli statim ut facti sunt lux, viderunt, & vident in verbo, in quo sunt incommutabiles rerum omnium rationes, non solum facta, sed etiam facienda, & longe aliter, quam nos videmus, ac propterea viderunt, & cognoverunt omnem mundanam creaturam, non solum prout unaquaevis latebat in causis seminalibus, sed etiam prout ex illis proxime, & in tempore educenda erat in propria specie, cum omnibus illis proprietatibus, quae illi ex divina largitate compe-

qui iter faciens, & ante eum Sacerdote, & Levita transeuntibus, veniens secus vulneratum in via, & videns eum, ejusdem misertus est, Lucæ cap. 10. v. 33. & plura alia hujus generis mystice maxime intelligi debent.

tere debebant; sed praestat hic iterum audire Augustinum lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 4. num. 10. ubi inquit *procul dubio longe aliter nota est Angelis creatura Dei, aliter nobis, excepto quod eam in Verbo Dei noverunt, per quod facta sunt omnia, etiam in se ipsa dico longe aliter notum eis esse quam nobis: illis enim primordialiter, ut ita dicam, vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit, et post eam conditionem a suis operibus requievit; non condendo aliquid amplius: nobis autem secundum rerum ante conditarum administrationem, jam per ordines temporum, secundum quam Deus jam illis rebus per senariam perfectionem consumatis, usque modo operatur*: ex quibus generatim etiam hic concludi debet, quod homo qui sexta die factus legitur, & distinctus in masculum, & fœminam, tunc factus sit latenter, sicut factum jam erat *virgultum agri antequam oriretur in terra in die quo creavit Dominus cœlum, et terram* Gen. cap. 2. v. 4. ut eo modo etiam ipse, cum jam esset in secreto naturae: idest *originaliter, et primordialiter factus* eo modo successu temporis in aspectabili forma, idest isto modo fieret, quo visibiliter vitam gerit sive bene, sive male: unde in lib. 6. de Genes. ad lit. num. 10. inquit S. P. *redeat ergo ad scripturam, inveniet sexto die hominem factum ad imaginem Dei, factos autem masculum, et fœminam, item quaerat quando facta sit fœmina? Inveniet extra illos sex dies: tunc enim facta est, quando Deus de terra finxit adhuc bestias agri, et volatilia cœli, non quando volatilia produxerunt aquae, et animam vivam, in qua et bestiæ sunt, produxit terra. Tunc autem factus est homo, et masculus, et fœmina: ergo et tunc, et postea. Neque enim tunc, et non postea. Aut vero postea. et non tunc: nec alii postea, sed iidem ipsi, aliter tunc, aliter postea. Quaeret ex me quomodo*) *Respondebo, postea visibiliter, sicut species humanae constitutionis nota nobis est, non tamen parentibus generantibus, sed ille de limo, illa de costa ejus, Quaeret tunc*

Nunc autem ut constet quisnam ex prædictis sensibus alicubi in Scriptura a Spiritu Sancto fuerit principaliter intentus, primo semper statuendus est sensus literalis proprius, vel improprius, quia iste est fundamentum aliorum, & sine isto necesse est ut reliqui semper in obscuro lateant: porro autem ut sensus iste innotescat, vocatis in subsidium sacræ hermeneutices regulis, e quibus magis universales etiam hic infra appositæ habentur: generatim expendi sedulo debet, non modo quid alicubi in sacra Scriptura dicatur, cui dicatur, quibus verbis dicatur? sed etiam quo tempore, & qua occasione, quid in sententia aliqua præcedat, & quid sequatur,

quomodo? Respondebo invisibiliter, potentialiter, causaliter, quomodo fiunt futura non facta.

Si autem quæratur, quomodo ergo Deus loquebatur, seu quomodo benedixit Deus eis, qui nondum audiebant, nec intelligebant, si visibiles & materiales non erant, qui Dei verba perciperent: *possem respondere* sunt verba S. P. Augustini, *sic eos allocutum Deum, quemadmodum Christus nos nondum natos, etiam longe post futuros: nec tantum nos, sed etiam eos omnes, qui futuri sunt post nos, omnibus enim dicebat, quos suos futuros videbat, ecce ego vobiscum sum usque in consumationem sæculi: sicut Deo notus erat Propheta, cui dixit priusquam te formarem in utero, novi te* (Jerem. cap. 1. v. 5.) *sicut decimatus est levi in lumbis Abraham* (ad hebr. cap. 7. v. 9.) *cur enim non ita & ipse Abraham in Adam, & ipse Adam in primis operibus mundi, quæ Deus creavit omnia simul? sed verba Domini per os carnis ejus, & verba Dei per ora Prophetarum temporali corporis voce proferuntur, & omnibus syllabis suis congruas temporum moras sumunt, atque consumunt; cum vero Deus dicebat, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram . . . crescite & multiplicamini . . . ipse sermo ejus ante omnem aeris sonum, ante omnem carnis & nubis vocem, in illa summa ejus sapientia, per quam facta sunt omnia, non quasi humanis auribus instrepabat, sed rebus factis rerum faciendarum causas inserebat, & omnipoten-*

consulendo semper primo quidem Sanctos Ecclesiæ Pares, & deinde etiam interpretes alios, qui in exponendo sensu literali studium, & operam suam impenderunt.

Postquam vero innotuit sensus literalis inquirendus venit sensus mysticus: & primo quidem *Allegoricus*, quo intellectus per rerum, & factorum figuras in fidei mysterijs eruditur: postea *Tropologicus*, quo voluntas, vel ad virtutis studium excitetur, vel a vitiorum cæno ad meliorem vitam reducatur: ac tandem *Anagogicus*, cujus subsidio, sicut intellectus rerum cœlestium ideis illustratur, ita voluntas eorundem desiderio accenditur, & inflammatur.

Ubi tamen breviter notandum est, quod univer-

ti potentia futura faciebat, hominemque suo tempore formandum in temporum tanquam semine, vel tanquam radice condebat, quando condebat, unde inciperent sæcula ab illo condita, qui est ante sæcula: idest ut omnia paucis complectamur Deus locutus est die sexto, benedixitque homini in verbo suo originaliter & primordialiter, ut supra dictum est, & quatenus etiam ipse in propria ac visibili forma proxime apparere debebat.

Postremo urgent adversæ partis fautores; intelligi nullo modo potest, quomodo homo die sexto factus est ad *imaginem Dei*, quæ profecto sita est in anima, qua homo factus est *in animam viventem* gen. cap. 2. v. 7. & quomodo Deus consumavit opera sua die sexto, nisi vel quia anima ipsa jam existeret creata simul cum corpore in causis seminalibus; vel etiam quia homo ipse jam existebat in propria visibili forma: primum dici non potest: quoniam inde naturaliter sequitur animas hominum per traducem propagari, quod nunc abhorrent aures christianæ, licet Estius insignis Theologus in 2. sent. dist. 17. §. 14. scribit nihil esse de origine animæ ab Ecclesia definitum, nec futuros læsæ fidei reos, qui ea de re dubitarent: igitur diei debet secundum: deinde si Moyses in capite primo Geneseos alios non indicavit dies; quam spirituales, distinctos tantum propter diversas angelorum cognitiones, relate ad sex diversa genera rerum, quoniam mens angelica videt in Verbo incom-

sim loquendo sensus allegoricus tnnc solum reputari debet certo, & infallibiliter, a Spiritu Sancto intentus, quando est, vel expresse revelatus in alijs Scripturæ locis, vel infallibili Ecclesiæ judicio, vel communi Sanctorum Patrum suffragio determinatus.

Idem cæteris paribus sentiendum est de sensu *Tropologico*, & *Anagogico*: dictum est cæteris paribus, nam in statuendo, & determinando sensu allegorico imprimis magis caute procedendum est, quam in alijs, ne error subrepat in fidem, ubi illum quis extra casus modo memoratos, & sine certo fundamento determinare præsumeret; quod non evenit in sensu tropologico, in quo statuendo adest

mutabiles rationes rerum omnium, profecto jam videt etiam creaturas omnes, & refert illas in laudem Dei, non alternatim, quasi cognita una quadam in seipsa, & sic relata ad laudem Dei, transeat ad cognitionem alterius, sed simul, eo prorsus modo, sicuti sunt in Verbo, per quod facta sunt omnia, non successive, sed simul, & incommutabiliter rerum omnium rationes, igitur, dicendum erit, quod angelica natura simul habuerit diem, & Vesperam, & mane: atqui absurdum plane est tria hæc, nempe diem, vesperam, & mane esse simul: ergo absurdum pariter est affirmare, quod Moyses in primo capite genesis non materiales, sed spirituales dies insinuare voluerit.

Verum antequam difficultates istas diluamus, oportet hic quædam præmittere, quæ ad materiam hanc illustrandam non parum conferunt: nimirum quanquam homo *& in ipso corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet* (nempe eundem factum ad imaginem Dei) *quod erecta statura factus est* ut cum S. P. Augustino in lib. 6. de gen. ad lit. cap. 12. sentiunt diversi Ecclesiæ Patres, interim certum est, quod eum Deus ex omnium mente *ad imaginem suam non fecit, nisi secundum id, quod interius est, non solum incorporeum, verum etiam rationale, quod pecoribus non inest.* Ut inquit modo laudatus doctor in lib. 5. contra Faustum cap. 2. idest secundum animam: deinde quod spectat ad originem animarum, prætermissa

nobis semper liberrima facultas verba sacræ Scripturæ, etiam præter verum illius sensum moribus nostris rite efformandis accommodare: item in sensu quoque Anagogico non est admodum indulgendum ingenio, sed humiliter magis, quam curiose indaganda sunt ea, quæ ad vitam futuram pertinent, ne forte in nobis verificetur illud Proverb. cap. 25. v. 26. *Scrutator majestatis opprimetur a gloria*.

Omnes autem isti sensus suppeditant infallibile argumentum pro fide, & moribus, quotiescunque infallibiliter constat unum, vel alterum determinate a Spiritu Sancto fuisse intentum: & generatim loquendo communis illa Theologorum omnium assertio,

Ruffini & Origenis sententia, quæ statuit animas omnes jam tunc factas, cum Deus, creavit omnia ex nihilo, de qua, an falsa esset, nunquam dubitatum fuit ab Augustino, ut ipse expresse affirmat in Epistola 28. ad Hieronymum, duæ erant tempore Sancti Parentis de ista quæstione celebriores in Ecclesia sententiæ: alij nimirum dicebant animas in singulorum hominum conceptione a Deo creari, quod nunc affirmatur communiter fieri organizato jam corpore; alij vero contendebant eas non creari, sed ex anima parentis traduci. Porro Sanctus Parens noster, ut ostendit S. R. E. Card. Henricus Norisius in Vindicijs Augustinianis cap. 4. §. 3. cum neutram quæstionis partem efficaci auctoritate, aut demonstrativa ratione sibi probari animadverteret, neutri adhæsit: fuse tamen quæstionem ventilavit in lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 6. & seq. in quatuor libris *de Origine animæ*; in Epist. 28. ad Hieronymum & in tribus Epistolis ad Optatum, quas laudat S. Fulgentius lib. 3. de Verit. Prædest. & grat. cap. 18. verum exortis postea Pelagianis, qui peccatum Originale inficiabantur, illud præcipue argumentum jactantes, creari a Deo animas, nec illas posse a Deo produci cum peccato, ea sententia, quæ animarum propagationem defendebat, Sancto Doctori probabilior videri cæpit, & licet S. Parens ad finem usque vitæ in dubio isto an scilicet animæ crearentur vel traducerentur, perseveraverit, ut ostendit modo laudatus

qua ajunt, quod ex sensu literali semper, & in omni casu deduci possit firmum argumentum ad comprobandum fidei, & morum dogmata, intelligi non debet, nisi pro illis casibus, quando sensus iste clarus est, nec diversis obnoxius expositionibus: secus enim, idest, quando textus aliquis diversos patitur sensus literales, neque unus præ alio propositus est infallibili Ecclesiæ judicio tanquam a Spiritu Sancto primario intentus, tunc etiam ex sensu literali, sicuti ex spirituali indeterminato non possunt inferri nisi conclusiones probabiles tantum, & quidem eo duntaxat gradu probabilitatis, quem habet a suis auctoribus, quælibet alia sacræ Scripturæ expositio.

noster Norisius loco citato adversus Bellarminum, qui falso contendit, non solum quod S. Pater postea In Epist. 157. ad Optatum dubitationem istam retractaverit, sed etiam quod ex traditione Ecclesiastica certa sit sententia de creatione animarum, falsissimum tamen est, quod Laurentius Altieri in suis Element Metaph. part. 3. cap. 3. postquam retulisset Tertullianum & Apollinarem putasse animas esse particulas animæ patris, affirmat dicens *in quam traducianorum opinionem proclivior fuit D. Augustinus in 4 libris, quos de Origine animæ conscripsit*: nam Tertullianus æque quam Apollinaris docebant animas traduci ex semine corporeo, siquidem ex illorum opinione etiam animæ sunt corporeæ; econtra vero S. P. Augustinus animam non esse corpoream constantissime semper credidit, & scire se quoque testatur in lib. 12. de Gen. ad lit. num. 62. dicens *animam vero non esse corpoream, non me putare, sed plane scire audeo me profiteri*, & Tertullianam quoque animarum traductionem expresse rejecit in Epist. præsertim 157. ad Optatum, ubi ait *nam & illi qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri: quo perversius quid dici potest?* neque alio sensu de traductio-

Præter sensus modo commemoratos, datur etiam alius, qui *accommodatitius* vocatur, eo quod humano ingenio ad significandas res a sacra Scriptura diversas, transfertur: ex quo intelligitur eundem improprie tantum vocari sensum Scripturæ, neque pertinere ad illam, nisi reductive tantum, hoc tamen non obstante habet suum usum, non solum apud Interpretes, sed etiam apud Ecclesiam ipsam, & apud Ecclesiæ Patres: siquidem non solum Patres, & Interpretes, sed ipsa quoque Ecclesia, ut omnibus notum est, accommodat Beatæ Mariæ Virgini Canticum canticorum, quod non est nisi Spirituale Epithalamium inter Christum, & Ecclesiam sponsam suam: & ver-

ne, seu propagine animarum ex parentibus unquam dubitavit, nisi eo, quem ipse explicat in modo citata Epistola dicens *utrum incorporeum semen animæ quadam occulta & invisibili via seorsum ex patre currat in matrem cum fit conceptus in femina*, in quo sensu tantum abest, ut opinio de traduce animarum reponi debeat inter errores Tertulliani & Apollinaris, ut inepte tradit Altierius, quin eam S. Isidorus Hispalensis veritus non est inter regulas fidei ab omnibus catholicis credendam reponere in lib. 2. de offic. Eccl. cap. 23. apud supra laudatum nostrum S. R. E. Card. Henricum Norisium, qui propterea in hac materia a nostratibus omnino legi meretur.

His præmissis, quod ad priorem difficultatem spectat, disjunctiva illa vera non est, nisi in suppositione, quod medium cognitionis angelicæ esset humana natura ipsa vel latens in causis seminalibus, vel in propria aspectabili forma jam constituta: nunc autem in sententia nostra, medium istud sunt ipsæ incommutabiles rationes rerum omnium *in verbo Dei per quod facta sunt omnia*, in quibus Angelis creatura Dei nota est *primordialiter*, vel *originaliter*, *sicut eam Deus primitus condidit*, *& post eam conditionem a suis operibus requievit* ut supra ex libro 5. de gen. ad lit. num. 10. didicimus: igitur generatim homo factus est etiam sexto die ad imaginem Dei, eodem sensu, quo die septimo requievit Deus ab omni opere, non uti-

ba Ecclesiastici cap. 41. v. 17. *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, quæ de Noe dicuntur, tribuit omnibus Confessoribus Christi.

Potest autem sensus iste triplici modo ex Scriptura derivari: nempe primo per *extensionem vocabulorum*, quando scilicet significatum aliquod genericum extenditur ad species, & ad individua, vel quando veritates universales ad casus, & circumstantias particulares accommodantur, sicuti fit, v. g. in Breviario ordinis nostri, dum præconium Simonis Pontificis Oniæ filij, quod extat Ecclesiastici cap. 50. v. 1. scilicet: *Ecce Sacerdos magnus, qui*

que nisi in seipso, qui factus non est, ut creatura ejus angelica post omnia opera Dei valde bona, nihil melius jam cognosceret, quam illum ab omnibus in seipso requiescere nullo eorum egentem, quo sit beatior; atque ita angelica natura cognovit sexto die hominem factum ad imaginem Dei, non in anima, quæ simul cum corpore lateret in causis seminalibus, posito quod falsa sit opinio de propagine animarum, etiam in sensu, in quem S. Pater post exortam hæresim pelagianam proclivior fuit, & in quo illam S. Isidorus inter regulas fidei ponendam esse censuit; neque in homine jam in propria aspectabili forma existente, sed quia creationem animæ, quam Deus insufflavit in faciem hominis post sextum illum diem, & in tempore, quod physice decurrit, in quo usque modo operatur, & nunquam requiescit ab operibus suis, factus est homo in animam viventem, Deus ipse Angelis suis jam manifestaverat: sicut docet S. Pater lib. 6. de gen. ad lit. num. 19. ubi ait *proinde formavit Deus hominem pulverem terræ, vel limum terræ, & inspiravit, sive insufflavit in ejus faciem spiritum vitæ, & factus est homo in animam vivam: non tunc prædestinatus, hoc enim ante sæculum in præscientia creatoris, nec tunc causaliter vel consummate inchoatus, vel inchoate consummatus, hoc enim a sæculo in rationibus primordialibus, cum simul omnia crearentur: sed creatus in tempore suo, visibiliter in corpore, in-*

in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum, referuntur, & accommodantur ad Sanctum Parentem, & Praeceptorem nostrum Augustinum; & secundo per *assimilationem rerum*, quando nimirum sententia aliqua refertur ad objectum aliquod aliud, in quo viget quaedam paritas rationis cum eo, de quo revera fit sermo in sacra Scriptura: ut cum S. Benedictus vocatur *magnus Pater multitudinis gentium* quod de Abraham dictum est Ecclesiastici cap. 44. v. 20. ac tandem tertio, per simplicem, & nudam *appropriationem*, quando nempe nulla attenta paritate rationis inter objecta, & objecta, accommodantur verba Scripturae cuidam alteri pro lubitu, & mero arbitrio nostro.

visibiliter in anima, constans anima, et corpore.

Ad alterum distingui debet, nimirum in nostra sententia Angeli habuerunt omnia simul, nimirum diem, vesperam, & mane, secundum temporum moras; & etiam non habuerunt illa simul, sed singillatim per ordinem, quem Scriptura sacra commemorat, secundum connexionem præcedentium, sequentiumque causarum: neque istud ullo modo absurdum videri potest, nam primo licet nos in terris ut inquit S. P. Augustinus in lib. 4. de gen. ad lit. num. 47., *hæc omnia simul habere non possumus: non ideo tamen istam terrenam conditionem, lucisque corporeæ temporalem localemque circuitum*, (quo scilicet fiunt dies nostri cum oritur, & occidit sol, & in locum suum redit, ut rursus oriatur) *illi patriæ spiritali coæquare debemus, ubi semper est dies in contemplatione incommutabilis veritatis, semper vespera in cognitione in seipsa creaturæ, semper mane etiam ex hac cognitione in laude creatoris; quia non ibi abscessu lucis superioris, sed interioris cognitionis distinctione fit vespera; nec mane tanquam noctis ignorantiæ scientia matutina succedat, sed quod vespertinam cognitionem in gloriam conditoris attollat* deinde quia, ut observat acutissime Sanctus Pater in eodem lib. num. 49. *cognitio fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant: quæ item priora sunt in verbo, per*

Jam vero in omni casu, ut non sit vitiosus, sed rectus sacrae Scripturae usus, cavendum erit; *primo*, ne proprius sensus a nobis Scripturae illatus proponatur tanquam sensus a Spiritu Sancto intentus; *secundo*: ut sensus iste a sensu literali, sive proprio: sive improprio nunquam ita dissentiat, ut cum eo nulla amplius connexione nequidem remota copulatus existat, vel etiam eidem plane repugnet: ac tandem, *tertio*, ne unquam verba sacrae Scripturae pertrahantur ad facetias, ad nugas, ad amatoria, ad scurrilia, verbo ad profana quaelibet, prout severe prohibet Concilium Tridentinum Sess. 4. in decret. de Edit., & usu sacrorum librorum, in quo: *Temeri-*

quod facta sunt omnia, quam in ijs, quæ facta sunt omnibus: patet quod in Angelis; secundum ordinem & connexionem rerum, quæ mentibus angelicis obversabantur, una cognitio succedere debuit alteram: unde prosequitur loco laudato Sanctus Pater *mens vero angelica pura charitate inhærens verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, ut præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt: ac sic prius in ejus fiebant cognitione, cum Deus dicebat, ut fierent, quam in sua propria natura: quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitia, quæ vespera dicta est: quam notitiam sane præcedebant, quæ fiebant; quia præcedit cognitionem, quidquid cognosci potest: nisi enim prius sit, quod cognoscatur, cognosci non potest: post hoc si eo modo sibi placeret, ut amplius seipsa, quam Creatore suo delectaretur, non fieret mane, idest, non de sua cognitione in laudem Creatoris assurgeret: cum vero factum est mane, faciendum erat aliud, et cognoscendum Deo dicente fiat, ut prius itidem fieret in cognitione mentis angelicæ, et posset rursus dici, et sic factum est: ac deinde in natura propria, ubi subsequente vespera nasceretur.*

Omittimus hic quæ opponi possunt de plantis de quibus legitur gen. cap. 1. v. 12. *et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum* quasi vero etiam istæ in propria specie tunc jam exti-

tatem illam reprimere volens (sunt verba Concilij) *qua ad profana quæquæ convertuntur* , & *torquentur verba* , *&* *sententiæ sacræ Scripturæ* , *ad scurrilia scilicet* , *fabulosa* , *vana* , *adulationes* , *detractiones* , *superstitiones* , *impias* , *&* *diabolicas incantationes* , *divinationes* , *sortes* , *libellos etiam famosos* , *mandat* , *&* *præcipit ad tollendum hujusmodi irreverentiam* , *&* *contemptum* , *ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc* , *&* *similia audeat usurpare* , *ut omnes hujus generis homines temeratores* , *&* *violatores verbi Dei juris* , *&* *arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur* .

Cæterùm tam in sensu accommodatitio , quam in alijs sacræ Scripturæ sensibus attendi debent documenta, quæ nobis tradit Apostolus in 2. ad Timot. cap. 3. v. 16. dicens : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* , *ad arguendum* , *ad corripiendum* , *ad erudiendum in justitia* , *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* ,

terint : nam etiam ad ista respondemus cum S. P. Augustino lib. 5. de gen. ad lit. cap. 4. *causaliter ergo tunc dictum est* , *produxisse terram herbam et lignum* , *idest producendi accepisse virtutem* : quod affirmari quoque debet de anima vivente , atque motabili , quam *produxerunt aquæ in species suas et omni volatili* gen. cap. 1. v. 21. ac proinde nihil aliud superest , quam ut quemvis ista legentem Verbis ejusdem S. P. alloquamur *cum audis* inquit S. Doctor lib. 5. de gen. ad lit. cap. 3. *tunc facta omnia* , *cum factus est dies* : *illam senariam* , *vel septenariam repetitionem sine intervallis morarum spatiorumque temporalium factam* , *si possis apprehendas* ; *si nondum possis* , *hæc relinquas conspicienda valentibus* : *tu autem cum scriptura non deserente infirmitatem tuam et materno incessu tecum tardius ambulante* , *proficias* , *quæ sic loquitur* , *ut altitudine superbos irrideat* , *profunditate attentos terreat* , *veritate magnos pascat* , *affabilitate parvulos nutriat* .

tametsi enim Apostolus hic non respiciat, nisi ad vetus testamentum, quoniam, dum hæc scribebat, libri novi testamenti magna ex parte nondum erant conscripti; nihilominus generatim loquendo, ut rectus sit, & conveniens sacræ Scripturæ usus, ea uti non debemus, nisi *primo in docendo*; scilicet imperitos, ut veritates in illa contentas apte edoceantur: *secundo in arguendo* nempe eos, qui veritatibus in illa contentis contradicunt, ut ijsdem assentiantur: *tertio in corripiendo*, idest coercendo impios, & cohibendo secundum illius præscriptionem morum corruptiones: ac tandem, *quarto in erudiendo*, nimirum ut inde nos ipsi ediscamus perfectam vitæ conversationem, & virtutibus Christianis de die in diem uberius proficiamus, nihil plane solliciti, ubi humana eruditione, & philosophicis curiositatibus, quæ ad vitam christianam, & veram justitiam nihil conferunt, etiam caruerimus.

Ut autem hæc omnia sicut oportet rite perficiantur, & peragantur, necesse est ante omnia ut nativum, & genuinum sacræ Scripturæ sensum perspectum habeamus, ut per se patet, præsertim vero literalem, qui, ut supra dictum fuit, aliorum basis est, & fundamentum: pro qua re maxime opus est arte hermeneutices sacræ, idest illa, quæ varios modos, & regulas docet, secundum quas sacra Scriptura, interpretari. & explicari debet: ars sane non modo Theologis, sed etiam verbi Dei præconibus summe necessaria: porro modi isti, & regulæ universaliores, & magis communes sunt, quæ sequuntur.

I. Scriptura sacra universim, semper interpretari debet iuxta eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia.

II. Sanctorum Patrum consensus respiciendus est, & tenendus pro fideli, & congruo Scripturæ sacræ, & spiritus Ecclesiæ interprete.

III. Principalis Scripturæ interpres est subinde etiam Scriptura ipsa: nam sæpe aperta interpretatur obscuram, & certa dubiam, ut multis exemplis ostendi potest.

IV. Ex locis obscuris, & dubijs non est judicandum adversus ea, quæ aperta sunt, & certa, sed econtra.

V. Novi testamenti cognitio, est optima ratio intelligendi vetus, & vicissim, nam generatim, sicut novum testamentum, sive Evangelium Prophetis auctoritatem, & intelligentiam tribuit, ita etiam Prophetæ Evangelio testimonium perhibent, fidemque conciliant: unde Christus Joan. cap. 5. v. 46. inquit: *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan, & mihi, de me enim ille scripsit: si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*

VI. Sensus verborum sicuti dependet, ita etiam præcipue erui debet ex usu, & intentione sacrorum Scriptorum.

Porro ad rite assequendum usum istum, & intentionem sacrorum Scriptorum plurimum juvare poterunt, quæ hic subjicimus.

I. Multa sæpe in Scriptura dicuntur juxta opinionem, vel temporum, coram quibus, & in quibus aliquid contingit, & non quod veritas habet, sic dum Christus Math. cap. 11. v. 25. de Pharisæis, & Scribis inquit: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti, hæc a sapientibus, & prudentibus*: hæc de illis pronuntiat, non quia revera essent sapientes, & prudentes, sed quia vulgo pro talibus ab hominibus illius temporis habebantur.

II. Scriptura sæpe conformat se ad morem loquendi receptum apud homines; sic Genes. cap. 18. v. 10. Angelus dixit ad Abraham, *revertens veniam ad te tem-*

pore isto vita comite, eo plane modo, quo de futuris homines loqui solent.

III. Scriptores sacri utuntur sæpe locutionibus hyperbolicis sic in 3. Reg. cap. 10. ver. 26: affirmatur, quod a Salomone factum sit, *ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta lapidum*.

IV. Usu sacræ Scripturæ non raro ille dicitur aliquid facere, qui aliquid esse, vel fore denuntiat: sic Levit. cap. 13. v. 11. Sacerdos dicitur contaminare, quem ipse declarat a lepra contaminatum.

V. Verba comminatoria sæpe intelligi debent hypothetice, & rebus sic permanentibus, prolata: ut Jonæ cap. 3. v. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*.

VI. Sæpe quod jam erat, fieri dicitur, cum primum manifestatur: sicut fit Lucæ cap. 2. v. 52. ubi de Christo dicitur, *Et Jesus proficiebat sapientia, & gratia apud Deum, & apud homines*.

VII. Plura in sacra Scriptura narrantur ad cautelam, & fugam, sicuti sunt imprimis exempla omnia perversarum actionum.

VIII. Sæpe pro præsenti ponitur præteritum; ut psal. 115. *Credidi, propter quod locutus sum*, loco *credo*, & *loquor*: interdum etiam præsens pro futuro: ut Joan. cap. 6. v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*: neque enim tunc, cum Christus ita locutus est, institutum jam erat Sanctissimum Corporis, & sanguinis ejus sacramentum: item etiam præteritum pro futuro: ut psal. 68. v. 22. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto*: quod in potatione Christi in cruce pendentis impletum est.

Sunt praeterea multa alia observanda circa intelligentiam Scripturae sacrae, tam ex parte interpretis, quam, ex parte Scripturae ipsius: & si de postremis

loquamur ea reducuntur in generali ad Nomina, praenomina, verba, Adverbia, Praepositiones; item ad conjunctiones, ad tropos, & figuras, quae saepissime in Scriptura occurrunt, & quae summam attentionem exigunt, siquidem ut inquit S. Hieronymus comment. in cap. 3. Epist. ad Ephes. *Singuli sermones, syllabae, apices, puncta in divinis literis plena sunt sensibus*: sed ea videri debent apud sacros Criticos: neque enim limites compendiosae hujus exercitationis postulant, nisi ut ea, quae magis universalia sunt, proferamus, tanquam illa, quae necessaria videntur ad instituendum animos illis principijs, quibus transitus ad penitiorem Theologiam tutus quodammodo redditur.

SECTIO II.

DE TRADITIONIBUS.

CAPUT I.

De Notione, & vario Traditionum genere.

Inter Fontes Theologiae post Verbum Dei scriptum, quod Scriptura sacra continetur, sequitur verbum Dei traditum, sive divina traditio, per quam constituitur altera partialis fidei nostræ regula: dico autem partialis, nam totalis, & completa, est verbum Dei in communi, sive divina revelatio universim, prout ipsa nobis ab Ecclesia proponitur, sive scripta sit, sive non.

Nomine autem traditionis in genere nihil aliud intelligitur, quam doctrina a majoribus accepta sine eo, quod a Scriptore aliquo fide digno literis consignata fuerit, & quae non suscipitur, nisi propter hanc solam rationem, quia illam nobis majores nostri annuntiaverunt: ac propterea solet definiri in scholis, quod sit doctrina non scripto testimonio, sed viva voce de aure ad aurem successive ad posteros propagata.

Traditio universim considerari potest, vel ratione Originis, idest penes auctorem, a quo scitum aliquod sine scripto testimonio primum ad posteros derivavit: vel etiam ratione materiae; idest ratione doctrinae ipsius, quae hoc modo nobis innotuit.

Si consideretur ratione Originis, tunc est, vel divina, vel humana, prout nempe, vel Deum ipsum, vel hominem auctorem habet.

Traditio divina, de qua semper intelligi debent

Theologi, quando vocabulum istud sine addito, & simpliciter adhibent, ex Concilio Tridentino est illa, *Quæ ipsius Christi ore ab Apostolis accepta, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus propagata ad nos usque pervenit.* Sive ut illam brevius complectitur, & explicat Varonius in Regula fidei cap. 4. *Est doctrina a Deo revelata, sed a nullo auctore canonico, idest divinitus inspirato literis mandata.*

Hinc intelligitur primo, quod traditiones divinae ejusdem plane sint, & omnibus esse debeant auctoritatis, cujus est ipsa Scriptura sacra: nam etiam illae sunt verbum Dei: & generatim, ut recte observat Bellarminus lib. 4. cap. 2. *Verbum Dei non est tale, nec habet infallibilem auctoritatem quia scriptum est in membranis, sed quia a Deo profectum est, vel immediate, vel etiam mediate, & per Apostolos.*

Intelligitur etiam, quod ad traditionem divinam in sensu stricto acceptam, necesse quidem sit, ut scripta non fuerit ab auctore aliquo canonico, seu divinitus inspirato, de caetero autem nihil plane impedit, quod postea scripta fuerit.

Dictum est, *ad traditionem stricte acceptam*; nam in sensu largiori, sub nomine traditionum subinde intelliguntur etiam dogmata, quae ab Apostolis nobis scripto relicta fuerunt; ut patet ex Epistola 2. ad Thessal. cap. 2. v. 15. ubi Paulus inquit; *Itaque Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*: in quibus palam traditionum nomine designat, tam ea, quae ipse solo sermone docuit, quam etiam illa, quae per Epistolam suam Thessalonicensibus jam ante significaverat.

Quia autem doctrina omnis a Deo revelata nobis

aliunde non innotuit, nisi per Apostolos, hinc patet, qua ratione non solum vulgo in scholis, sed etiam apud Sanctos Ecclesiae Patres traditiones divinae subinde etiam Apostolicae vocantur, & vicissim divinae, quae proprie sunt tantum Apostolicae; nimirum hoc ideo usuvenit, quia omnes ex aequo ad nos non pervenerunt, nisi per manus Apostolorum.

Deinde constat, quod Apostoli doctrinam revelatam non acceperunt, nisi vel immediate a Christo Domino, vel etiam post ejus ascensionem in cœlum a Spiritu Sancto: sicut Christus ipse docet Joan. cap. 16. v. 12. dicens ad discipulos suos: *Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.*

Igitur ut omnia, quae huc pertinent, in majori quo fieri potest lumine reponantur, congruum est duplex hic imprimis distinguere genus traditionum, quae omnes stricto jure traditiones divinae appellari debent; nempe primum est illarum, quas Christus ipse suo ore Apostolos edocuit, & quas Apostoli sine scripto testimonio ad nos transmiserunt: & istae maioris distinctionis gratia vocari possunt *divino dominicae*, quia eas Apostoli immediate a Christo Domino acceperunt: sicuti est v. g. Dogma de septenario numero Sacramentorum, quem certe Christus ipse instituit: item dogma de determinata eorundem Sacramentorum materia, & forma, quod ab alio originem habere non potuit quam a Christo, qui est immediatus auctor omnium Sacramentorum novae legis.

Alterum genus divinarum traditionum est illarum, quas ad nos solo ore demandarunt Apostoli non dictante eas Christo Domino, sed post ejus Ascensio-

nem in cœlum Spiritu Sancto inspirante, & quae propterea *Divino Apostolicæ* nominari possunt, ut a superioribus distinguantur: sicuti est, v. g. Traditio de libris Canonicis novi testamenti, quae profecto a Christo Domino immediate repeti non potest: siquidem libri isti non fuerunt scripti nisi post gloriosam ejus in cœlum ascensionem:

Huc pertinet etiam aliud genus traditionum quas *pure Apostolicas* nominamus, & quarum nomine intelligimus praecise institutiones, & observantias omnes, quas Apostoli immediate, & proxime per seipsos, assistente duntaxat Spiritu Sancto, eosque regente, ne erroneum quidquam docerent, vel instituerent, fidelibus praescripserunt; sicuti est imprimis Symbolum fidei recitandum a cathechumenis, per baptismum initiandis, & sunt deinceps Observantia Paschatis die Dominica proxime sequenti ad lunam 14. Martij: translatio sanctificandi Sabatum in diem dominicam: Trina ablutio in baptismo: et ex S. Ignatio Martyre in Epist. ad Philipp. atque ex S. Leone serm. 8. de Jejun. etiam observantia Jejunij quadragesimalis, & quatuor anni temporum: praeterea etiam institutio festivitatum Nativitatis, Epiphaniae, & Ascensionis Domini, atque adventus Spiritus Sancti de cœlo, seu Pentecostes, ex S. P. Augustino Epist. 118. ad Januarium; ac tandem etiam ritus signandi se signo crucis ex S. Basilio in lib. *de Spiritu Sancto* cap. 27.

Porro Traditiones istæ dici non debent divinæ, nisi forte improprie tantum; nimirum hoc sensu, quia nihil ab Apostolis statutum est, sine interna aliqua Spiritus Sancti directione: & quia non solum in Scholis, sed etiam apud Sanctos Ecclesiæ Patres in usu est, ut traditiones divinæ, & Apostolicæ generatim acceptæ, sæpe etiam promiscue accipiantur,

hinc est quod illas hic pure Apostolicas denominavimus, scilicet ut easdem hoc modo distingueremus a Superioribns, quæ in sua origine sunt vere, & proprie divinæ.

Rursus, quia Apostoli, qui nobis modo dictas institutiones, & observantias immediate reliquerunt, dupliciter considerari possunt: nimirum primo præcise ut Apostoli, seu ut primi Verbi Dei præcones a Christo cum æquali potestate missi ad omnes gentes; atque secundo ut primi Ecclesiarum, quas ipsi prædicatione sua fundaverunt Rectores, & Pastores; hinc fit, quod etiam traditiones pure Apostolicæ considerari possunt sub duplici respectu; nempe primo quatenus concreditæ fuerunt, & spectant ad Ecclesiam universam, sicuti sunt illæ, quas postremo loco memoravimus, & ex S. P. Augustino in supra laudata Epist. ad Januarium cap. 6. etiam ista quod Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum a jejunis accipi debeat (1) licet institutum fuerit a Christo *postquam*

(1) Verba autem quibus S.Parens veritatem istam insinuat, sunt quæ sequuntur: nimirum ait loco citato *liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus et Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos: numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jeiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur*: & post pauca ostendens morem hunc ex Apostolorum traditione in Ecclesiam derivatum subjungit *namque Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, et memoriæ Discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat: et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur: ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum*: ad hanc eandem classem traditionum pure Apostolicarum pertinet etiam modus sumendi Eucharistiæ Sacramentum, sci-

cœnatum est, Lucæ cap. 22. v. 20. & secundo quatenus concreditæ fuerunt uni tantum, vel alteri cuidam particulari Ecclesiæ, sicuti est v. g. jejunium in die Sabathi, quod longo tempore Romæ in usu fuit ex traditione Principis Apostolorum, & de quo mentionem facit S. P. Augustinus in Epist. ad Casulanum: illæ primi generis vocantur universales, istæ autem particulares.

licet nunc sub utraque, nunc vero etiam sub una tantum specie, quem certe Christus Apostolis, & Apostoli postea arbitrio, & auctoritati Ecclesiæ reliquerunt: nam licet Verba Christi Joan. cap. 6. v. 54. *nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis* præceptiva sint, non autem mere consultiva, ac propterea Eucharistiæ Sacramentum sit quoque adultis omnibus ad salutem necessarium, ex necessitate istius præcepti, ut docent Theologi omnes; nihilominus tamen absolute verba illa nihil aliud præcipere videntur nisi hoc, nimirum ut a fidelibus omnibus ad habendam vitam æternam sumatur Corpus, & Sanguis Christi: jam vero ad effectum istum consequendum satis est, sive quis unam, sive alteram speciem sumat, ut constat ex ore Christi ipsius, dum in modo laudato cap. 6. Joan. sermonem instituens de solo pane vers. 59. inquit *qui manducat hunc panem vivet in æternum*, quod hic contra Lutheranos breviter notare placet: nec immerito nam sub unaquavis specie est Christus totus, & est corpus vivum. carnem, & sanguinem habens: igitur quisquis vel unam, vel alteram speciem sumit, manducat & bibit simul verum Corpus, & verum Sanguinem Christi, eo modo, quo Christus loco citato præcepit: neque ullatenus necesse est, ut istud separatim fiat, nam licet Sacramentum hoc institutum fuerit, ut esset in cibum & potum, & Christus quoque jusserit, ut fideles manducarent, & biberent, quia tamen tam cibus iste quam potus longe distant a cibo, & potu, quo in dies alimentantur corpora nostra, idest quia non est materialis, sed Spiritualis, & animarum, non corporum, satis quoque esse debet, ut manducandi, & bibendi præceptum Spiritualiter adimpleatur, & per sumptionem alterutrius speciei,

Jam vero inter traditiones divinas proprie dictas, & pure apostolicas istud intercedit essentiale discrimen, quod postremæ istæ non constituunt per seipsas aliquam fidei regulam, sicut illam semper constituunt traditiones divinæ proprie dictæ: nam universim illa sola traditio potest esse fidei regula, per quam immediate cognoscimus aliquid, quod a Deo revelatum est; at vero per traditiones pure apostolicas non cognoscimus immediate quæ a Deo revelata sunt, sed ad summum subinde mediate tantum, nimirum hoc sensu, quatenus traditiones hujusmodi possunt esse, & sunt aliquando indicium veritatum illarum, quæ divinitus revelatæ fuerunt, idest quatenus subinde manifestant doctrinam aliquam Divino Dominicam, vel Divino Apostolicam: sicuti est celebratio Paschatis die Dominica sequente ad diem 14. Lunæ Martii, in quo non amplius Agni typici, sed

eo quia in una qualibet revera continetur tam cibus quam potus: atque hinc est quod Ecclesia modo unum, modo alterum observavit modum præbendi fidelibus Corpus, & Sanguinem Christi, semper tamen libere, & sine aliqua obligatione ad alterutrum observandum, & licet apud primos Christianos viguerit consuetudo, ut fideles communicarent sub utraque specie, attamen consuetudo ista neque viguit semper, neque fuit unquam communis, & universalis, nam moribundis dabatur in primitiva Ecclesia sola species panis, & cum per urgebat persecutio non deportabant domum, neque domi sumebant Eucharistiam, nisi sub specie panis, ut patet ex Tertulliano, ex Clemente Alexandrino, ex Cypriano, & aliis: præterea infantibus dabatur subinde sola species vini: ut testatur S. Cyprianus in Serm. de Baptis. ex quibus fit perspicuum, quod etiam fideles primitivæ Ecclesiæ crediderint modum sumendi Eucharistiam Ecclesiæ relictum fuisse: ac proinde tam a Concilio Constantiensi Sess. 13. quam a Tridentino jure ac merito difinitum fuit Laicis communionem sub utraque specie non esse necessariam.

Christi, qui Pascha nostrum immolatus est, mysteria sacra recoluntur.

Nunc, ut ad traditiones humanas progrediamur, istæ nihil aliud sunt, quam notitiæ & instituta majorum ab hominibus minime divinitus inspiratis oretenus & sine scripto testimonio ad posteros derivatæ: & dividuntur in Ecclesiasticas, & civiles, seu politicas, prout nimirum vel ab Ecclesiastica, vel a civili, & politica auctoritate originem habent.

Traditiones Ecclesiasticæ sunt institutiones, & observantiæ majorum nostrorum, vel ab Ecclesiæ auctoritate, vel ab usu fidelium ab Ecclesia probato circa res sacras, & religiosas primitus introductæ; sicuti est v. g. observatio plurium dierum festorum in honorem diversorum Sanctorum, & jejunium in illorum vigiliis: item abstinentia ab esu carnium in diebus Veneris, & Sabathi (2) atque etiam mos consecrandi Ecclesias, & Altaria per Sanctas Martyrum Reliquias, de quo more in Concilio VII. Generali Can. 7. præcipitur *qui autem templum consecravit sine Sanctis Reliquiis deponatur, ut qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit.*

Traditiones civiles seu politicæ continent res gestas, & adjuncta illarum, quæ ad rem, vel publicam, vel privatam Regnorum, Civitatum, domorum vel familiarum pertinent.

(2) *Ante finem sæculi X. extra quadragesimam, et quatuor jejuniorum tempora abstinentiam a carnibus Sabatho non fuisse præceptam, inde liquet, quod nullus, si non fallor, veterum ejus meminit.* Ita doctissimus Mabillonius in Præf. ad sæcul. V. Benedict. §. 6. num. 116. ubi etiam paulo ante notaverat eodem sæculo X. in memoriam, & honorem Beatissimæ Virginis Mariæ paulatim instituta fuisse; primo abstinentiam prædictam a carnibus in die Sabathi: secundo Officium, quod parvum nominatur: & alia ejusdem generis.

Si Traditiones considerentur ratione materiæ, idest penes doctrinam ipsam, quam continent; tunc dividuntur in sacras, & profanas, prout res vel sacras vel profanas respiciunt.

Traditiones sacræ, nam de profanis hic nihil agimus, vel respiciunt res fidei, & tunc vocantur *dogmaticæ*; vel vitam recte agendam secundum Dei legem, & tunc nominantur *traditiones morum*; vel denique habent pro objecto res agendas, idest ritus & observantias Ecclesiasticas; & tunc dicuntur *traditiones disciplinares*.

Traditiones dogmaticæ sunt doctrinæ illæ omnes, quas Apostoli circa ea, quæ credenda sunt, viva voce potius, quam scripto testimonio, vel absolute, vel magis explicite Ecclesiam docuerunt.

Dictum est vel *absolute*, vel *magis explicite*, quia inter hujusmodi traditiones aliæ sunt, quæ in Scriptura nullatenus continentur, aliæ vero quæ licet in ea contineantur, egent tamen etiam orali Magisterio, ut extra omnem controversiam reponantur.

Inter illas autem præcipuæ, & quas Theologus ignorare nullatenus debet, sunt sequentes, nempe *Prima* dari in Deo Trinitatem personarum in ejusdem essentiæ seu naturæ unitate subsistentium, & proinde sibi consubstantialium, sicuti definitum fuit primo in Synodo Alexandrina anno 319. contra Sabellium; postea in Concilio Œcumenico Niceno I. anno 325. contra Arium, ac tandem etiam in Concilio Generali Constantinopolitano I. contra Macedonium anno 382. Tametsi enim articulus iste de unitate naturæ, & Trinitate personarum in divinis satis clare habeatur in Scriptura Sacra expressus, nullibi tamen hoc fit ita dilucide, ut hæreticorum

sophismata penitus diluta maneant, nisi in subsidium sacræ scripturæ vocetur traditio (3).

Secunda Traditio dogmatica est Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere tanquam ab uno principio: ut definitum fuit primo a Nicolao I. Summo Pontifice, contra schisma græcorum, cujus auctor fuit Photius Constantinopolitanæ Patriarchalis Sedis invasor anno 863., & deinde magis explicite a Concilio Œcumenico Lugdunensi II. anno 1274. ac tandem etiam a Concilio Generali Florentino sub Eugenio IV. Summo Pontifice anno 1438.

Tertia Justos ex hac vita sine ullo reatu culpæ aut pœnæ decedentes mox consequi æternam beatitudinem, & assumi ad intuitivam Dei visionem: sicuti definitum fuit a Concilio prædicto Lugdunensi II. in Professione Fidei, & deinde etiam a Florentino in Decreto Fidei, ac tandem a Tridentino Sess. 21. c. 24. ubi breviter notandum est, quod Joannes XXII. Summus Pontifex, qui etiam ipse inter alios sui temporis doctores huic dogmati contrariam fertur tenuisse sententiam, morti proximus illam retractaverit; ut testatur Raynaldus continuator Baronii ad annum

(3) Quod hic dicitur de mysterio Trinitatis, intelligi debet de omnibus fere nostræ fidei mysteriis, nam revera vix ullum plane est, quod non ejuraverint vel antiquiores vel recentiores hæretici, ut observatum fuit Sess. 1. cap. 2. in Probat. ad primam Propositionem, ad quod proinde dilucide statuendum necesse non sit ad traditionem descendere: ac proinde jure Bernardus Lamy in suo Apparatu Biblico lib. 2. cap. 8. inter regulas, quibus Sacræ Scripturæ Lector, ad verum illius sensum deducitur, primam & præcipuam omnium esse statuit illam nimirum: *Ex traditione, vel interpretatione Sanctæ Ecclesiæ, ex decretis Conciliorum, ex consensu Sanctorum Patrum intelligenda sunt illa scripturarum loca, in quibus dogmata fidei Christianæ continentur*.

1334. num. 37. si tamen verum est quod narratur, sunt enim qui de facto isto valde dubitant, ajuntque Joannem XXII. fuisse quidem procliviorem in illam sententiam, quæ affirmabat justis deferendam esse beatitudinem usque ad futuram corporum resurrectionem, nihil tamen determinatum de ea re statuisse.

Traditio Quarta dogmatica est Parvulos omnes etiam ex Christianis Parentibus natos vere contrahere peccatum originale, ac proinde eosdem baptizandos esse etiam ante usum rationis, ut capaces fiant consequendæ æternæ salutis si forte moriantur: ut definit Concilium Tridentinum Sess. 4. de Peccato Originali contra Anabaptistas.

Quinta traditio dogmatica est existere Purgatorium, & animas ibi detentas suffragiis fidelium in hac vita viventium adjuvari: ut iterum definivit Concilium Tridentinum edoctum *ex sacris literis*, *& antiqua Patrum traditione* ut legitur Sess. 25. in decreto de Purgatorio adversus Lutheranos, & Calvinistas.

Sexta Traditio dogmatica est Ecclesiam Christi esse infallibilem in omnibus fidei, & morum controversiis definiendis: ut constat ex tota antiquitate, & constanti fidelium omnium consensione.

Septima est Beatissimam Dei genitricem Mariam perpetuo Virginem permansisse, non solum ante, sed etiam in partu, & post partum: ut iterum constat ex tota antiquitate, & unanimi Sanctorum Patrum consensu: sane enim ut alios taceamus, S. Ambrosius in lib. de Instit. Virginum cap 6. & 7. contrariam opinionem vocat *sacrilegam*, & *impiam*, & *blasphemam*; & S. Epiphanius hæres. 78. ubi eos, qui eandem post partum Salvatoris ex Joseph alios suscepisse liberos affirmabant, cum Helvidio, & alijs

antiquioribus quibusdam hæreticis, appellat *Antidicomarianitas* (4).

Octava est Beatissimam Virginem Mariam ab omni actuali peccato fuisse semper immunem: ut constat ex Concil. Trident. Sess. 6. c. 23. ubi legimus: *Neminem posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia*, & ex S. P. Augustino in lib. de Nat., & Grat. cap. 36. ubi ait *de Virgine Maria propter honorem Domini, ubi de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem*.

Traditio nona est Sanctos cum Christo regnantes orationes suas pro nobis Deo offerre: ac propterea bonum esse, & utile illos invocare: item illorum

(4) Adversus traditionem istam visum est quibusdam facere, quod S. Basilius scribit in homil. *in Sanctam Christi generationem*: ubi expendens illa Verba Math. cap. 1. vers. ultimo *non enim cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* de Beatissima Virgine Maria inquit *jam autem hinc oritur suspicio Mariam, posteaquam generationi Domini per Spiritum Sanctum factæ pure inservivit, tum demum consueta nuptiarum opera non denegasse*: ad quæ Verba ejusdem S. Doctoris Patres Maurini in editione operum ejus anni 1722. Tom. 2. pag. 600. apponi curarunt in marginem postillam istam, nempe *caute legendum*: verum si omnia, quæ ibidem profert Sanctus iste Doctor non separatim, sed conjunctim expendantur, videtur valde probabile, quod ita locutus sit, non in propria, sed in aliena sententia: siquidem statim ibidem post laudata verba nulla prorsus interposita mora, & quasi de sensu suo pronuntians subjungit dicens *Nos autem etiamsi hoc pietatis doctrinam nihil lædit, siquidem ad dispensationis usque ministerium necessaria erat Virginitas, quod vero postea evenit, id ratio ministerij curiosius inquirere non cogit: cum tamen Christi amantes audire non sustineant, quod Deipara aliquando desierit esse Virgo, testimonia illa sufficere arbitramur*, profecto enim inter eos,

Reliquias venerandas esse: atque imagines Christi, Deiparae Virginis, & aliorum Sanctorum retinendas, eisque debitum honorem, & religiosam venerationem exhibendam esse: quae omnia definita fuerunt a Concilio Tridentino Sess. 25. in decreto *de Invocatione Sanctorum*, & quod ad Imagines pertinet Concilium Nicœnum II., seu VII. generale Can. 7. ita concludit: *Regiam viam incedentes, & Sanctorum Patrum doctrinæ insistentes, & catholicæ Ecclesiæ, in qua Spiritus Sanctus inhabitat, traditionem observantes definimus cum omni diligentia, & cura venerandas esse sanctorum imagines.*

Decima est Septem esse novae legis vere, & proprie dicta Sacramenta: eaque omnia a Christo ipso instituta fuisse: ut definit Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 1. *de Sacramentis in genere*.

qui Christi amantes sunt, & qui audire non sustinent, *quod Deipara aliquando desierit esse Virgo* numerari debet S. Basilius ipse; atque ut nemini de hac sua propria fide remaneret aliquis ambigendi locus, explicat, paulo post verba allata, etiam particulam *donec* in præcitato Mathæi loco, ostendens eandem accipi debere de tempore indefinito, non autem de definito, ita ut per eam significari doceat, quod a Joseph Beatissima Virgo nunquam carnaliter cognita fuerit, dum ibidem prosequitur *quod quidem attinet ad illud* (sunt Verba S. Doctoris) *non cognoscebat eam donec peperit filium suum, respondemus videri illud donec multis locis aliquod quidem tempus definitum indicare; sed tamen indefinitum vere significat, quale est, quod dictum est a Domino, & ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: non enim futurum erat, ut Dominus post hoc sæculum non amplius cum sanctis versaretur; sed promissio præsentis denotat perpetuitatem, non rescindit futurum: eodem igitur modo hic etiam illud donec acceptum fuisse dicimus*; quibus manifeste demonstrat, quod idem intelligere voluerit, quod S. Hieronymus Comm. in cap. 1. Math. dicens *Scriptura quod factum non sit ostendit*.

Undecima vero : Ad cujuslibet Sacramenti valorem, & efficaciam requiriri determinatam materiam, & verborum formam una cum intentione Ministri faciendi quod facit Ecclesia : ut iterum definit Concil. Trident. loco citato.

Duodecima denique ex praecipuis dogmaticis traditionibus est, quod omnia, & singula peccata mortalia in Sacramento Pœnitentiae necessario Sacerdoti aperiri debeant; & quod Confessio auricularis sit divinae institutionis; sicut definivit praedictum Concilium Sess. 14. c. 6. & 7. contra Novatores, qui confessionem laudatam, sicut a Coucilio IV. Lateranensi anno 1215. praecepta fuit ab omnibus Christi fidelibus semel in anno facienda, ita etiam tunc primum institutam fuisse affirmant.

Traditiones morum sunt practica quaedam instituta majorum, quae ad mores, & vitam recte agendam pertinent sine scripto testimonio ad posteros derivata, ut est, v. g. Abstinentia ab operibus servilibus in diebus festivis : item inclinatio capitis, & alia signa reverentiae religiosae dum transimus ante effigiem Christi crucifixi, & genuflexio, ante Sanctissimum Altaris Sacramentum.

Traditiones disciplinares sunt institutiones majorum, quae ad ritus in sacris peragendis, & Sacramentis administrandis, aliasque Ecclesiae, & Ecclesiasticorum virorum cœremonias, & observantias pertinent, sicuti est v. g. Trina, vel immersio baptizandi, vel infusio aquae super eum in collatione Baptismatis; item tonsura, & habitus Clericalis; benedictiones domorum; & sunt cætera hujusmodi plura, tam ad personas quam ad res pertinentia.

Rursus traditiones in genere spectatae, & quatenus sunt doctrinae a majoribus nostris, sine scripto testimonio ad nos derivatae possunt, & solent

a plerisque expendi primo ratione loci, & extensionis: & vocantur, vel *universales*, vel *particulares*.

Traditiones *universales* sunt, quae ex instituto majorum ad universam Ecclesiam pertinent, seu quae fideles ubilibet existentes ex aequo afficiunt, sicuti est, v. g. Traditio, ut a jejunis accipiatur Sanctissimum Corpus Christi ordinarie loquendo. *Particulares* autem sunt, quae ex instituto majorum, vel Ecclesias, vel cœtus tantum particulares respiciunt; sicuti est v. g. In Ecclesia latina traditio conficiendi Eucharistiam in pane azymo.

Secundo traditiones expendi etiam possunt ratione modi, quo fideles tangunt: & sic vocantur, vel *necessariæ*, vel *liberæ*.

Necessariæ sunt, quæ ex instituto majorum ex præcepto innotescunt, circa ea quæ agenda, & observanda sunt: sicuti est, v. g. admixtio aquæ cum vino in consecratione calicis, qua secundum mysticorum interpretationem significatur unio humanitatis cum divinitate in Christo, & de qua Sanctus Martyr Cyprianus in Epist. 63. inquit: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, ut calix mixtus vino offeratur*. *Liberæ* vero sunt, quæ ex instituto majorum innotescunt circa illa, quæ sunt liberæ devotionis, neque præcepto, sed consilio tantum commendantur, sicuti est, v. g. Ritus aspergendi frontem aqua lustrali benedicta in ingressu Ecclesiæ, item usus recitandi numeratas preces in honorem, & devotionem Beatæ Mariæ Virginis, idest Coronam vel Rosarium.

Tertio expendi possunt etiam ratione temporis; idest ratione durationis illarum: & tunc dicuntur, vel *perpetuæ*, vel *temporales*.

Traditiones *perpetuæ* sunt instituta majorum circa

illa, quæ semper in Ecclesia observari possunt, & debent; sicuti est, v. g. Celebratio Paschatis, quam ab Apostolis institutam fuisse supra dictum est, ac propterea ex instituto, & traditione majorum agendam esse in Ecclesia Christi die dominica proxime sequenti ad lunam decimamquartam solemni decreto statuit Concilium Nicænum I. ut non Judæorum, sed Christianum Pascha celebrare videamur. *Temporales* autem sunt, quæ respiciunt observantias ex instituto majorum ad certum tempus limitatas, & definitas: sicut erant in Exordio Ecclesiæ legalia, quorum observatio ab Apostolis permissa fuit, antequam Evangelium esset sufficienter promulgatum; & sicuti nunc sunt collectæ, quæ ad certum tempus ab auctoritate Ecclesiæ fieri jubentur.

Postremo expendi quoque possunt per respectum ad intrinsecam illarum naturam, & constitutionem: & tunc dicuntur, vel *immutabiles*, vel *mutabiles*.

Traditiones *immutabiles* sunt statuta majorum, quæ pertinent, vel ad rectum Ecclesæ statum, vel ad dogma aliquod fidei ab intrinseco, & ex integro constituendum, aut confirmandum: sicuti est, v. g. Ordo Hierarchicus ministrorum Ecclesæ, sine quo ministerium ipsum perfectum nec esse, nec consistere potest: item commutatio sanctificationis Sabathi in diem Dominicam, in qua novæ creationis, & completæ redemptionis humani generis mysterium in memoriam revocatur: *mutabiles* autem sunt statuta majorum circa eas observantias, quæ pro temporum, locorum, & personarum circumstantiis utiles sunt, & salutares, sicuti sunt omnes illi ritus, cæremoniæ, & observantiae minus essentiales, quae ad decorem magis, quam ad essentiale constitutivum Ecclesiae, vel etiam ad constituendum, & confirmandum ab extrinseco tantum dogmata fidei aliquo pa-

cto influere possunt, v. g. Quod Missa non celebretur, nisi a jejuno, vel quod Sacerdos in habitu, & tonsura incedere debeat.

Patet autem quod postremae istae traditionum considerationes, & natae exinde divisiones, locum non habeant, nisi tantum in traditionibus disciplinaribus: nam traditiones dogmaticae, cum solum Deum auctorem habeant, pertinent semper ad omnes, & omnia loca, ac tempora: ac proinde sunt omnes universales, necessariae, perpetuae, & immutabiles, neque ab ulla humana auctoritate possunt, vel immutari, vel ad certum aliquem cœtum, tempus, aut locum limitari, aut restringi, sicuti fit, & fieri potest in traditionibus, quae ad disciplinam pertinent, & quae generatim possunt habere originem, vel ab Episcopis, vel ab usu fidelium, vel denique ab Apostolis ipsis, a quibus multa instituta fuisse regendis fidelibus utilia, ac salutaria, superius jam dictum est.

CAPUT II.

De Existentia, & Necessitate divinarum Traditionum.

Praecipua controversia, quae viget inter nos, & haereticos fere omnes, & omnium temporum (1), consistit in eo quod haeretici fere omnes doceant solam sacram Scripturam esse fidei nostrae regulam, nullamque extare revelatam seu fidei doctrinam, quae in sacris non legatur contenta codicibus: ac propterea Novatores, lutherani scilicet, & Calvinistae, affirmant universim, quod omnia illa, quæ catholici docent de existentia, & necessitate divinarum traditionum, nihil aliud sint, quam figmenta apta ad Religionem Christianam radicitus evellendam; quemadmodum expresse pronuntiat Petrus Bayle in suo dictionario critico: ex quo unusquisque intelligit qua diligentia, & quo studio Theologus quisque animum præparare, atque intendere debeat, ad divinas istas traditiones vindicandas; ut autem ordinate progrediamur, sit

Propositio I. Dogmata nostrae fidei non fuerunt in scripturam relata, nisi aliquamdiu post mortem Christi, & gloriosam ejus in Cœlum ascensionem.

Probat. Imprimis extra dubium est, quod a principio nascentis Ecclesiae fidelibus dogmata fidei tra-

(1) Controversia ista non est nova neque nata est occasione hæresis lutheranæ, sed habet originem antiquissimam; siquidem ut notat Melchior Canus lib. 3. cap. 1. ortum habet ex remotissimis fontibus Marcionitarum, Valentinianorum, Arianorum, Nestorianorum aliorumque hæreticorum primitivæ Ecclesiæ.

dita fuerint, non scripto aliquo, sed solo verbo, & praedicatione Apostolorum: etenim ut legitur in actis cap. 2. postquam ipso die Pentecostes, in quo etiam Ecclesia caepit perfecta fieri, & in suo esse constitui, nimirum die quinquagesimo post resurrectionem Christi a mortuis, Spiritus sanctus sub visibili forma ignitarum linguarum in cœnaculo super discipulos descendit, tunc primum *Apostoli*, ut ibidem legitur ver. 4., *Caeperunt loqui varijs linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Jam vero prædicatio ista Apostolorum fuit adeo efficax, ut illa ipsa die aggregata fuerint ad Ecclesiam *tria millia hominum*: ut constat ex vers. 41. ejusdem capitis: igitur prima nostræ fidei propagatio facta fuit, non scriptura, sed sola praedicatione verbi, seu sola traditione orali: deinde dogmata fidei quatenus scripta sunt, profecto non inveniuntur alibi, quam in Evangelijs, & alijs scriptis Apostolorum: atqui Evangelia, & reliqua Apostolorum scripta non fuerunt confecta, nisi longe post Christi mortem: nam mors Christi juxta comuniorem sententiam consignatur ad annum 29. æræ vulgaris; contigit enim juxta magis obviam Evangelij intelligentiam, cum Christus esset annorum triginta trium (2). Jam ve-

(2) Nos hic sequimur communiorem in scholis opinionem, in qua non est eadem, ut quidam existimarunt Æræ vulgaris, & veri Natalis, ac proinde etiam annorum mortis Christi, comparative ad æram istam computandi ratio: nam in hac sententia initium æræ vulgaris figitur anno quinto post verum natalem Christi, ita ut natalis Christi integro quadriennio initium æræ vulgaris, qua in computandis Christi annis utimur, præcedere supponatur; ac proinde initium æræ vulgaris statui debet anno quinto post Natalem Christi, & cum Christus ex probabiliori, & jam fere ab omnibus recepta sententia, natus sit circa annum 4000. sequitur, quod anni æ-

ro S. Mathæus, qui primus omnium inter Evangelistas doctrinam evangelicam in scripturam retulisse fertur, scripsit Evangelium suum, ut ostendit Augustinus Calmet in Proleg. in Evang. Mathæi, patrio sermone, idest hebraice anno Christi 41. hoc est, post annos ferme octo a morte ipsius, & ex Irenæo, quem sequitur Pearsonius in annalibus Paulinis anno 61. Similiter Petrus scripsit suam primam Epistolam, cum esset Romæ anno secundo, vel tertio regni Claudij Imperatoris, idest circa annum Christi 45., vel 46. in quo etiam Marcus suum Evangelium scripsisse creditur, supposito quod verum sit, illud ab eo Romæ scriptum fuisse (Vid. Sect. I. cap. 4. Not. 2.), & ita discurrendum est de Luca, de Paulo, de Juda, de Jacobo; nimirum etiam isti non scripserunt quidquam, quod ad fidem pertineat, nisi post diversos, & plures annos post mortem Christi; ut de singulis ostendit modo laudatus Augustinus Calmet. & de S. Joanne tradit S. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, quod tam Evangelium, quam Apocalypsim suam scripserit *jam senio confectus*: ergo generatim dogmata nostræ fidei non fuerunt in scripturam relata, nisi aliquamdiu post mortem Christi.

Propositio II. Multa quæ ad fidem pertinent non fuerunt unquam ab Apostolis in Scripturam relata.

Probat. Christus Dominus Joan. cap. 16. v. 12. postquam multa docuisset discipulos suos ex ijs, quae ad fidem pertinent, ait ad illos: *adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit*

tatis Christi, ac propterea etiam mortis ejus, integro quadriennio numerum annorum æræ vulgaris semper excedere debeant: sed de his videri potest inter alios, etiam noster Laurentius Berti in Rudiment. ad Brev. hist. cap. 12.

vos omnem veritatem : atqui nullibi legimus, vel in Evangelijs, vel in scriptis aliorum Apostolorum, quæ nam illa sint, de quibus a Spiritu Sancto post Christi ascensionem edocti fuerint discipuli ejus, quin tamen ullo modo dubitari possit, quod etiam ista, non minus quam illa, quæ scripserunt, certissime ad fidei, & morum doctrinam pertinere deberent: præterea actor. cap. I. v. 3. docet Sanctus Lucas, quod Christus post resurrectionem suam cum discipulis suis per quadraginta dies conversatus sit, & locutus de regno Dei: jam vero, quæ ad regnum Dei pertinent, non possunt esse alia, quam fidei, & morum dogmata, ut per se patet; & nihilominus etiam de istis tacet Scriptura, quænam illa fuerint: ergo generatim multa plane sunt, quæ ad fidem, & mores pertinent, quæ tamen ab Apostolis in Scripturam relata non fuerunt: deinde, ut ad particularia breviter descendamus; sane certissimum est, nec videtur ab haereticis jure aliquo negari posse, primo quod in libris sacris, saltem in illis, qui Protocanonici vocantur, & quos etiam haeretici recipiunt, tanquam infallibilem fidei regulam, contineatur genuinum verbum Dei, atque ideo, quod detur, & admitti debeat certus, & constans sacrorum librorum Canon, quo tanquam certa, & secura regula determinantur, ac discernuntur libri illi, qui vere divinitus inspirati fuerunt: secundo certissimum pariter est, & tanquam fidei dogma propugnatur etiam a lutheranis, & calvinistis, primo quidem contra Anabaptistas, quod Pædobaptismus, idest Baptismus parvulorum ante usum rationis validus sit: & secundo etiam contra Donatistas, quod ministratio baptismi cum debita verborum forma ab impio, vel haeretico collati valeat, nec proinde reiterari debeat: atqui nihil plane ex his omnibus invenitur determina-

te in Scriptura sacra expressum: nam quod ad primum pertinet idest ad Canonem divinorum librorum, profecto iste per solam Scripturam sacram determinari nullatenus potest: nam nullus omnino est, & inveniri potest in sacra Scriptura locus, qui determinate doceat, quinam libri in specie sint revera divinitus inspirati, qui vero dubij, & apocryphi.

Neque valet, quod Novatores reponunt, dum ajunt, Canonem sacrorum librorum non pertinere ad fidem, vel etiam illum per se constare, nec debere demonstrari, sed supponi potius, sicut fit in alijs scientijs, in quibus supponuntur tanquam aliunde certa, & jam demonstrata principia illa, quae ipsis pro fundamento deserviunt: nam primo, si libri sacri sunt fidei nostrae regula, de fide quoque teneri debet, quod sint divinitus inspirati, alioquin fidei regula consurgeret, & constitueretur ex aliquo, de quo non est certum, utrum divinum sit, an humanum potius, & propterea utrum non humanam tantum, sed etiam divinam fidem mereatur? quod absurdum esse, & repugnans sect. 1. cap. 3. affirmavimus: deinde quod scientiarum principia probari non debeant, sed supponi tanquam certa, & jam aliunde demonstrata, hoc verum est tantum, quando principia ista relate ad nos jam sunt cognita, non autem quando nondum sunt cognita, sicuti contingit de libris sacris, de quibus nunquam certi esse possumus, an contineant divinam auctoritatem, sive an sint vere Canonici, nisi prius innotescat, quod fuerint divinitus inspirati; quemadmodum non semel notavimus loco modo laudato cap. 2. ubi de medio, quo nobis tam Scriptura sacra, quam reliqui omnes articuli fidei certo & infallibiliter innotescunt.

Praeterea, ut ad alterum transeamus, licet in novo testamento baptismus sit Sacramentum regenera-

tionis necessarium ad salutem pro omnibus hominibus, nullibi tamen in sacra Scriptura expresse legimus eundem effectum suum producere, vel susceptum ante usum rationis, vel collatum ab impio & haeretico ministro: nam primo verba illa Joan. cap. 3. v. 5. *Amen amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, quamvis sine dubio pertineant ad omnes baptizandos, tam adultos, quam infantes, nisi tamen probentur ex praxi Ecclesiæ, & traditione majorum, facillime, & sine magno negotio eludi possunt, & ostendi ad parvulos non pertinere, ex eo, quia dicta inveniuntur ad Nicodemum in adulta ætate jam constitutum, & qui propterea novitate ista, quod oporteat nos renasci denuo, cum jam senuerimus, nonnihil correptus, atque perculsus, eodem in loco vers. 4. interrogat dicens: *Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* deinde etiam illa Math. cap. 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos*: dicta fuerunt Apostolis, qui profecto, nec impij erant, nec hæretici: ergo licet revera extendi debeant ad omnes ministros tam bonos, quam malos, inde tamen contra Donatistas invicte demonstrari nequit valere baptismum ab impio, vel ab hæretico collatum, nisi in subsidium vocetur traditio.

Quod autem hic reponunt hæretici, nimirum dogmata ista contineri in sacra Scriptura implicite, atque exinde per analogiam fidei facillime, & satis clare deduci, nihil concludit: nam licet utrumque verum sit, idest licet revera dogmata ista in sacra Scriptura implicite contineantur, ac proinde ex ipsa per analogiam fidei legittime etiam deduci valeant: attamen, si hæreticus aliquis unum, vel alterum pervicaciter inficiaretur, atque negaret, sicuti olim de

postremo fecerunt Donatistæ in Affrica, & nostris temporibus de priori faciunt Anabaptistæ in Hollandia, quomodo is de errore suo convinci poterit ex aperta Scriptura, quæ nulla extat in his casibus? Deinde analogia fidei apud haereticos est vanum nomen sine re: nam universim non admittunt aliam regulam fidei, quam Scripturam: adeoque non possunt hanc ipsam analogiam sine manifesta contradictione aliunde repetere, quam ex ipsa sacra Scriptura: at vero sacra Scriptura non continet quidquam clare, & perspicue de istis articulis: igitur etiam analogia fidei, quam obtrudunt haeretici, est insufficiens ad dogmata ista firmanda: ac proinde verissimum est, multa esse, quae ad fidem pertinent, & quae ab Apostolis in Scripturam relata non fuerunt.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. 1. Apostoli ideo Scripserunt, ut fideles haberent stabile monumentum suae fidei: unde Joan. cap. 20. v. 31. legimus: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis . . . & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*: deinde Scriptura sacra est maxime perfecta, atqui talis non esset, si quaedam omissa sunt, quae ad fidem pertinent: siquidem non contineret ea omnia, propter quae scripta fuit: præterea, si quaedam ad fidem spectantia omissa sunt, hoc certe evenire debuit, vel ex negligentia Scriptorum, vel ex consilio Dei; primum est injuriosum sacris Scriptoribus: alterum vero Deo ipsi: ergo nihil plane ad fidem pertinens omissum est: tandem in Scriptura sacra inveniuntur multa levia, & quae per se nullius fere sunt momenti; igitur credibile non est omissa fuisse gravia, & ad fidem spectantia: nam Deus, si-

cut non abundat in superfluis, ita non deest in necessarijs.

Respond. ad primum *dist.* Apostoli scripserunt, ut fideles haberent stabile monumentum fidei partiale, & praecipuum *conc.* totale, & unicum *nego*. Principio Christus Dominus misit discipulos suos in mundum, non ut scriberent, sed ut prædicarent Evangelium suum *omni creaturæ*: Marci cap. 16. v. 15., & Math. cap. 28. v. 19. deinde Apostoli nihil plane scripserunt, nisi quando rerum, ac temporum circumstantiæ istud exigere visæ sunt, ut scriberent: sic Mathaæus scripsit Evangelium suum rogatus a fratribus in gratiam Judæorum ad Christi fidem conversorum: ut observat S. Hieronymus: Marcus vero unus ex LXXII. Discipulis Christi, scripsit illud dictante Petro, ut multi arbitrantur, in gratiam Christianorum, qui tunc Romæ Christi fidem profitebantur: & S. Joannes composuit Evangelium suum, ut illud Cerintho, & Ebioni hæresiarchis sui temporis, & Christi divinitatem negantibus (3) opponeret: sic etiam Paulus, & reliqui Apostoli scripserunt, non ut omnia fidei dogmata scriptis suis comprehenderent, sed ut fidelibus commendarent, quæ Spiritui Sancto, ut scriberentur, opportuna esse videbantur; *neque enim* ut in sua 2. Epist. cap. 1. v. 21. inquit Petrus: *Voluntate humana allata est*

(3) Nimirum Ebionitæ docebant Christum esse purum hominem: damnabant virginalem statum, & jungebant observantiam legalium cum Evangelio: Cerinthiani autem, sic dicti a Cerintho Philosopho distinguebant Jesum a Christo, docebantque cum Ebionitis Jesum esse purum hominem, Christum autem divinitatem, quæ ex mente istorum Jesum dereliquerit, quando in Cruce clamavit *Pater mi ut quid dereliquisti me* quam impietatem innovavit postea Calvinus, docens Christum tunc in desperationem actum fuisse.

aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines: igitur licet verum sit, & nos quoque fateamur, quod finis principalis, propter quem Apostoli Verbum Dei literis consignarunt, sit iste, ut fideles haberent in scripto stabile monumentum, & regulam certam suæ fidei: istud tamen intelligi debet de monumento, & regula fidei partiali tantum, & præcipua, non autem de totali, & completa: nam totalis, atque completa est verbum Dei, quod partim in Scriptura, & partim in traditione continetur: sicuti dictum est supra capite primo ab initio.

Quod additur in confirmationum ex cap. 20. S. Joannis obviam habet solutionem: nam ibidem Apostolus, & Evangelista loquitur manifeste de fide in Christum: adeoque verba illa versiculi 31. *Hæc autem Scripta sunt, ut credatis*: intelligi debent de fide quantum ad objecta principalia, quæ explicite ab omnibus credenda sunt, non autem quantum ad omnia, & singula: nam ibidem vers. 30. præmiserat dicens, *Multa quidem, & alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc*, ex quibus non obscure colligitur, multa etiam ab Apostolis prætermissa fuisse, quæ scripta non fuerunt, & scripta tantum illa, quæ sufficere videbantur ad credendum, *quia Jesus est filius Dei*, quemadmodum ibidem subjungit Evangelista; ac proinde ex præfato testimonio, nihil aliud deduci, potest, nisi quod credentes ea, quæ scripta sunt, habituri sint vitam æternam, attamen cum ista conditione, ut credant illa, quæ scripta sunt, ita tamen ut non inficiantur multa alia, quæ scripta non fuerunt, & quæ Jesum fecisse expresse fatetur, & docet eo loci S. Joannes.

Ad alterum *dist.* Scriptura est maxime perfecta, quia continet omnia, quæ ex inspiratione Spiritus

Sancti scribenda erant *conc.* quia continet omnia, & singula credenda *nego*. Nempe perfectio rerum æstimari debet ex perfecta illarum congruentia cum prototypo, ad quod efformatæ sunt, & hoc sensu etiam Scriptura sacra est maxime perfecta, quia revera continet omnia, quæ inspirante Spiritu Sancto literis consignanda esse sacri Scriptores didicerunt: neque perfectionem istam labefactare ullo modo potest, quod ex illa multa, quæ ad fidem pertinent, omissa fuerint: nam cum Deus ipse sit auctor principalis sacræ Scripturæ, profecto aliunde æstimari neque debet, neque potest, utrum Scriptura sit perfecta, vel non? nisi ex eo, quod nihil in ipsa contineatur, vel praeter, vel contra Dei ipsius voluntatem.

Ad Confirmationem *nego ans.* Nam Scriptura data est nobis, ut esset regula, non utique totalis, & completa, ut supra dictum est, sed partialis, atque præcipua: cujus ratio in eo consistit, quia ipsa ex divina dispositione continere debebat prima ac praecipua fidei dogmata, & quia nihil omnino ad revelatam doctrinam, & fidei dogmata pertinere possit, quod vel directe vel indirecte sacræ Scripturæ contrarium esse inveniretur: deinde sicut singularis quisque liber in sacra Scriptura contentus in seipso perfectus est, & continet omnia ea, propter quae scriptus fuit, non ob aliam rationem, nisi quia illa continet, ad quae scribenda singularis quisque scriptor a Spiritu Sancto motus, & inspiratus fuit, tametsi in nullo illorum seorsim spectato inveniantur omnia, & singula fidei, & morum dogmata, ita etiam integra Scriptura continet omnia, propter quae scripta fuit, non quia continet omnia & singula credenda, ut contendunt Lutherani, & Calvinistae, sed quia nihil deest illorum, quae Deus ipse literis consignanda scriptoribus sacris inspiravit.

Ad tertium respondendum est sine dubio non ex negligentia, aut oscitantia sacrorum Scriptorum, sed Dei ipsius consilio, & jussione factum esse, ut aliqua fidei, & morum dogmata non scriberentur, neque tamen propterea inferri potest, quod Deus imperfectam ordinaverit Scripturam, aut quod integritati fidei minus congrue, & non satis prospexerit: nam licet quaedam, quae ad fidem pertinent, in sacra Scriptura omissa fuerint, & scripta non habeantur, voluit tamen Deus, ut etiam ista nobis certo innotescere possent, hoc ipso, quia voluit, ut praeter verbum scriptum non deesset unquam etiam verbum traditum, in quo eadem omnia immutabiliter continerentur, & certo etiam, atque sine erroris periculo exinde quovis tempore edisci; atque cognosci possent.

Ad postremum responderi inprimis posset cum Tertulliano de Praescript. cap. 4. *cedat curiositas fidei*; sed directe ad argumentum; *transeat antecedens*; nempe transeat quod in sacra Scriptura inveniantur multa levia, quod verum esse potest, si spectentur in seipsis, non autem si considerentur, quatenus inveniuntur in scriptura sacra, nam hoc sensu levia appellari non possunt, eo quia etiam ipsa, sicut alia omnia, divinitus inspirata fuerunt, ut scriberentur: deinde distinguitur consequens nempe credibile non est in sacra Scriptura omissa fuisse gravia, & ad fidem pertinentia nullo habito respectu ad altitudinem consiliorum Dei, & in sensu diviso *conc.* habito respectu ad altitudinem consiliorum Dei, & in sensu composito *nego* (4). Multa fiunt, quae verissima

(4) Distinctio ista *sensus divisi* & *sensus compositi* adhiberi solet in scholis praecipue, quando sermo est in materia de gratia & praedestinatione: & quidem D. Thomae Discipuli

sunt, & quae incredibilia videntur mentibus nostris spectata tantum in seipsis, & in sensu diviso *altitudinis sapientiæ, & scientiæ Dei* sic v. g. quod ex duobus parvulis subinde unus baptizetur, & morte præreptus assumatur in regnum cœlcrum, alter vero sine baptismo decedens ab eodem regno excludatur, quod argumentum pertractat S. P. Augustinus in lib. de dono perseverantiæ cap. 12. incredibile apparet, nisi mens nostra seipsam erigat ad altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei, & nisi duo isti parvuli spectentur in sensu composito justissimi consilij Dei, quo in eadem massa perditionis, quam

aptissime confugiunt ad duplicem sensum istum ad salvandum & conciliandum liberum hominis arbitrium sub physica præmotione, qua docent Deum præmovere, atque prædeterminare omnes hominum actus, idest tam naturalis quam supernaturalis ordinis, & quidem in quovis hominis statu, idest tam in statu culpæ, quam justitiæ originalis propter essentialem dependentiam, quam in quovis statu creatura rationalis habet a Deo, tanquam a prima rerum omnium causa, & propter supremum hujus in res omnes dominium (Vid. Sect. 1. cap. 2. Nota 4.) non exceptis illis actibus in quibus a recto fine deflectitur, si spectentur in quantum sunt actiones, sive ut ipsi loquuntur, relative ad materiale peccati; & rectissime etiam ostendunt, quod sub prædicta præmotione perfecte salvatur hominis libertas in eo, quia licet homo stante & perseverante physica ista motione, sive prædeterminatione ad actum, non potest non agere, dum ita motus actu agit, siquidem ut ait S. Thomas in 1. secundæ quæst. 112. art. 3. *tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest*: potest tamen absolute, si ab ista præmotione præscindatur, sive *in sensu diviso*: ut per se patet; eandem distinctionem possumus jure & utiliter adhibere etiam in scholis nostris, quando scilicet homo operari affirmatur sub gratia efficaci ab intrinsecis suis, quam ad bene operandum necessariam esse dicimus in statu tantum naturæ la-

uterque ex æquo participat, & in qua omnes pariter nascimur, idest sub reatu peccati originalis, unus ex illis juste relinquitur, seu, ut scholæ loquuntur, negative reprobatur, alter vero ex illa misericorditer liberatur: nisi inquam mens nostra, eo modo, quo dictum est, seipsam erigat, hæc omnia videbuntur incredibilia; interim tamen non cessant esse verissima, propter expressam Domini sententiam Joannis cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Eodem plane modo discurrendum est in casu nostro, nempe si præscindatur ab altissimo consilio

psæ, *qua fit ut cognita sancto amore faciamus*; sicut inquit S. P. Augustinus in lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 5. & quidem ex titulo infirmitatis contractæ propter peccatum primi Parentis, seu sub victrici delectatione gradibus superiori ad contrariam concupiscentiam, *qua fit ut*, (homo bonum) *velit*, *et tantum velit*, *tantoque ardore diligat*, *ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*: etenim etiam in hac nostra doctrina, licet quamdiu perseverat victrix delectatio relate ad opus bonum perficiendum *in sensu composito* fieri non possit, ut voluntas a bono illo opere prosequendo actu desistat, potest tamen absolute, & in *sensu diviso* idest, si a superiori illa delectatione, qua voluntatem allicit & excitat ad opus illud efficaciter ponendum, præscindatur: quanquam quod hic specialiter notandum est, in scholis nostris ad salvandum hominis arbitrium sub absoluto divinæ voluntatis decreto magis communiter adhiberi jam solet hæc altera distinctio: nempe in statu naturæ lapsæ (nam in hoc tantum statu admittimus decreta prædeterminantia, & efficacia divinæ voluntatis) potest homo agere vel non agere, etiam sub delectatione superiori relative ad eliciendum actum bonum potentia possibilitatis *conc.* potentia positionis actus *nego* idest potest quidem liberum arbitrium superiori delectatione victrici motum dissentire, si velit, quomodo dum quis ambulat, sedet, scribit, potest procul dubio non ambulare, non sedere

sapientiæ Dei, & in sensu diviso, fieri utique potest, ut incredibile videatur alicui, quod Spiritus Sanctus sacris Scriptoribus inspiraverit scribenda non pauca, quæ in seipsis minuta, & levia esse videntur, neque quidquam conferunt, vel ad depositum fidei statuendum, & confirmandum, vel ad doctrinam salutis quovis modo promovendam, sicuti est, v. g. illud Tobiæ cap. 11. v. 9. *Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuntius adveniens blandimento suæ caudæ gaudebat*; non ita tamen res se habet in sensu composito consiliorum Dei, etenim sicut occulto Dei judicio, & simul

non scribere; verum sicut is qui actu ambulat, sedet, & scribit, non potest cum actu ambulandi, sedendi, & scribendi simul ponere actum oppositum, scilicet non ambulare, dum ambulat, non sedere, dum sedet, non scribere, dum scribit, idest, ut breviter dicamus, potentia positionis actus, ita etiam voluntas efficaci gratia excitata, & victrici delectatione mota ad bonum aliquod agendum, non potest conjungere cum bona & flagrantissima charitate divinitus nobis inspirata & infusa voluntatem oppositam, & simul actu dissentire; neque potentiam possibilitatis ullo modo lædit, vel lædere aliquo pacto potest, quod in scholis nostris natura gratiæ constituatur in inspirata nobis sancta delectatione, quæ efficax dicitur, quando est gradibus superior, inefficax autem & tantum sufficiens, ut aliæ scholæ loquuntur, quando est gradibus inferior ad contrariam concupiscentiam: nam universim neque sub sancta delectatione, neque sub contraria concupiscentia voluntas ita abripitur, ut ad agendum vel non agendum antecedente aliqua necessitate inducatur, etenim in nostro systemate, sicut sub sancta delectatione, quam Deus misericorditer & absoluta sua voluntate inspirat, bonum quodcunque non ita proponitur voluntati, ut sub omni ratione boni seipsum manifestet, ita ut in eo nulla amplius apprehendi valeat species mali, sicuti fit cum beatis in patria, qui Deum summum bonum sub omni ratione boni contemplantur, atque ideo etiam necessario illum diligunt, ita etiam econ-

altissimo sapientiæ ejus consilio factum est, ut plura minuta, & quæ ad fidem, atque ad æternam salutem consequendam per se, & directe non pertinent, scriberentur clare atque perspicue, plura autem alia gravia, & quæ ad fidem spectant scriberentur tantum obscure, ita absolute loquendo, eodem Dei consilio fieri potuit, ut quædam ad fidem spectantia, penitus omitterentur, & scriberentur interim alia, quæ immediate, & per se non pertinent ad materiam fidei.

Neque tamen ideo Deus, vel abundavit in superfluis, vel defuit in necessarijs, ut inepte ratiocinan-

tra, sub delectatione terrena, sive sub contraria concupiscentia, quantumvis vehementi & lacertosa, intellectus nunquam adeo obnubilatur, & excæcatur, ut nequeat apprehendere, & proponere voluntati speciem aliquam boni, atque ita illam a malo retrahere, ex quo fit, ut sub quacunque delectatione tam cælesti & sancta, quam prava, & terrena remaneat in homine vera & proprie dicta potestas ad agendum vel non agendum etiam contrarium, cum hoc tamen discrimine, quod voluntas, ut prodeat in actum malum, se sola sufficiat, ut autem prodeat in actum bonum, eget superno adjutorio, *quo fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*: ut supra ex S. P. Augustino jam semel dictum est: præterea ex his intelligitur etiam quod in libero hominis arbitrio sit semper vera potestas ad agendum bonum absolute, quanquam remota, & quæ ex se non prodit in actum: nam ut mox laudatus S. P. inquit in lib. de corrept. & grat. num. 31. *liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

Sunt tamen qui ajunt, quænam vero est ista vel sub physica præmotione, vel sub delectatione relative victrici, & gradibus superiori libera agendi, vel non agendi potestas, quando Thomistæ æque, ac Augustiniani fatentur, & propugnant aperte, quod ex ea nullus unquam vere prodiverit, aut proditurus sit actus?

tur hæretici; nam quidquid voluntate Dei fit, neque superfluum, neque defectosum merito dici potest.

Propositio III. Præter Verbum Dei scriptum, ad determinandum ex integro omnia & singula fidei dogmata, admitti debet necessario etiam Verbum traditum, seu divina traditio.

Probat. Apostoli multa docuerunt Ecclesiam, quæ ad fidem pertinent, sola traditione orali, nam ut modo vidimus, multa quæ ad fidem pertinent, non fuerunt unquam in scripturam relata ab Apostolis: ergo præter Verbum scriptum, ad determinandum omnia & singula fidei dogmata, admitti debet ne-

verum qui ita arguunt, non animadvertunt multa esse, imo vix non innumerabilia, quæ omnes vere & proprie loquendo facere possumus, quin ea unquam vel faciamus, vel facturi simus, saltem quousque rationis usus nos minime deserit: sic v. g. possumus nobis joco & ludendo oculos effodere, possumus biduo, triduo & octiduo quoque sani corpore & mente in lecto decumbere, possumus nudi e domo in publicum prodire, & innumera hujusmodi alia perpetrare, quin tamen ullus sanæ mentis quidpiam istorum faciat, vel unquam facturus sit: igitur a pari, quia tam sub physica præmotione, quam sub delectatione relative victrici, & superiori ad bonum aliquod agendum *Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate*, ex Apostolo ad Philipp. cap. 2. v. 13. tametsi fieri non possit, ut actu non velimus, quousque volumus & non perficiamus bonum, quousque Deus ita operatur in nobis velle & perficere in *sensu composito* sive potentia positionis actus contrarij, *quia intentio Dei deficere non potest* ut supra ex divo Thoma didicimus, & quia *hoc nisi credamus*, sunt verba S. P. Augustini in Enchirid. cap. 96.) *periclitatur ipsius nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur: neque enim* (ut ibi prosequitur S. Pater modo laudatus) *ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult potest nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus*: non tamen propterea tollitur a

cessario etiam Verbum traditum, sive Divina traditio: antecedens patet ex dictis, & confirmatur ulterius multiplici ratione: nam, ut magis obvia proferamus, imprimis Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 11. v. 2. ita alloquitur fideles *laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*: sane enim præcepta Corinthiis tradita, quorum observantiam hic laudat Apostolus, non poterant esse pure humana: unde merito S. Basilius in lib. de Spiritu Sancto in hunc locum Apostoli inquit *arbitror Apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere: laudo vos inquit Paulus, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis traditiones tenetis*: deinde idem Apostolus in 2. ad Timoth. cap. 1. v. 13. hortatur eundem dicens *formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, & in dilectione in Christo Jesu, bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum*, & in 2. ad Thesalon. cap. 2. v. 15. ait ad illos *itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*. Quæ necessitatem divinarum traditionum ad integram fidem ita clare commendant, ut nihil clarius desiderari posse videatur, neque enim vel depositum, quod Aposto-

libero arbitrio absoluta potestas agendi vel non agendi: siquidem in sensu diviso, & præscindendo a motione, qua Deus misericorditer nos prævenit, ut velimus & faciamus, idest potentia possibilitatis possumus etiam vere & proprie non velle, & non perficere, quod volumus, & perficimus: sed ista notare hic placuit, tametsi extra locum suum, ut occasione accepta ex notione sensus compositi & divisi, aliquo modo ostenderetur ratio & modus, quibus occurri possit inimicis divinæ gratiæ, quando zelo salvandi liberum hominis arbitrium abrepti, gloriam crucis Christi evacuare pertentant.

lus Timotheo commendat in fide, & *in dilectione in Christo Jesu*, vel traditiones quas Thessalonicenses ex ipso didicerant, respicere possunt res mere humanas, sed divinas, & ejus generis, quæ pertinebant ad illas, quæ ab omnibus credenda, & agenda erant: unde in postremum locum inquit S. Joannes Chrysostomus, *est perspicuum quod non omnia Apostoli per Epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis; & ea quoque sunt fide digna: quamobrem quoque traditionem censeamus esse fide dignam; est traditio, nihil amplius quæras?* rursus in 2. Epist. ad Timoth. cap. 2. vers. 2. hortatur idem Apostolus discipulum suum dicens, *& quæ audisti a me per multos testes hæc commenda fidelibus hominibus* quibus profecto expresse monet Timotheum, ut tam ipse, quam reliqui ab eo edocti, permanerent in doctrina, quam oretenus ab illo audiverunt: & in prima ad Corinth. cap. 11. postquam plura docuisset relative ad institutionem Eucharistici Sacramenti, & dignam illius sumptionem, ita concludit: *cætera autem, cum venero disponam*, in quibus manifeste ostendit, quod multa alia de hoc argumento docere voluerit Corinthios solo verbo, & sine scripto: ergo præter Verbum scriptum, ad integram fidem necessario admitti debet etiam verbum traditum.

Præterea ad integram fidem satis non est, ut nobis innotescant omnia, & singula fidei dogmata, quod sine traditionibus, sive sine doctrina absque scripto testimonio, & sola orali traditione ab Apostolis ad nos derivata, fieri non posse, usque modo ostendimus; sed requiritur necessario ut certo & infalliIbiliter nobis constet, tum quinam in specie sint libri canonici, seu divinitus inspirati, tum quis sit verus, & genuinus illorum sensus a Spiritu Sancto

intentus, præsertim vero respective ad illa loca, quæ ad principalia nostræ fidei dogmata pertinent; sicuti sunt v. g. *Deum esse unum, & trinum: filium in divinis esse ejusdem cum Patre naturæ, atque substantiæ: Christum esse vere filium Dei: in eo esse unam tantum personam, duas autem naturas, duasque voluntates, & operationes*; & alia hujus generis: jam vero sine subsidio traditionum, nihil ex his nobis certo, & infallibiliter innotescere potest; non primum, ut patet ex probatione ad superiorem propositionem: sed neque secundum, ut patet ex hæreticis, primitivæ Ecclesiæ, scilicet Gnosticis, Sabellianis, Arianis, Nestorianis, Eutychianis; & Monothelitis, qui singuli, spretis traditionibus in intelligenda sacra scriptura respective ad præfata fidei dogmata pessime semper erraverunt, ita ut verba scripturæ etiam in oppositos errores detorserint (5) merito propterea Nicenum se-

(5) Nimirum *Gnostici*, idest sapientes; qui ita vocari amabant quia superbissime credebant, quod ipsi soli vere saperent, & genuinum Sacræ Scripturæ sensum intelligerent, & qui etiam alio nomine Valentiniani vocantur a duce illorum Valentino, qui secundo sæculo Ecclesiam dilacerarunt, erraverunt in primis circa Dei naturam & essentiam in eo, quoniam invexerunt *Aeonum* fabulam, idest certam quandam dimanationem, seu expansionem divinitatis, distribuendo in XXX. Aeonas omnes dimanationes illas, quarum complexum vocaverunt *Pleroma*, idest plenitudinem omnium dimanationum Divinitatis: præterea hæretici isti præter alias impietates, docuerunt etiam, quod Christus ad salvandum humanum genus sine assumpta vera carne de cœlo delapsus sit, ac proinde etiam quod non vere, sed apparenter tantum passus fuerit: *Sabelliani* Duce Sabellio Ptolemaide nato affirmarunt tres personas in Divinis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum convenire in unam hypostasim, tanquam tres appellationes, sive tanquam tria nomina unam eandemque subsistentem substantiam signifi-

cundum & generale seu Œcumenicum Concilium VII. act. 7. ita pronuntiat; *Si quis traditionem sive scripto, sive consuetudine valentem non curaverit anathema sit*. Et merito etiam Concilium Tridentinum, & cum eo Ecclesia tota *Traditiones ipsas* (sunt verba laudati Concilii Sess. 4.) *tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spirito Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, ac veneratur*.

Huc accedit auctoritas Sanctorum Ecclesiæ Patrum, qui omnes uno ferme ore, non solum existentiam, sed etiam necessitatem divinarum traditionum ad integre statuendum singula fidei dogmata quovis sæculo docuerunt: sic, missis aliis, qui videri possunt luculentissime citati præprimis apud Bel-

cantia: *Ariani* autem Duce Ario Alexandrino Presbytero docebant Verbum Divinum esse initium creaturarum, expers paternæ substantiæ, & factum ex non extantibus, sicut cæteræ creaturæ: & Nestoriani auctore Nestorio, qui circa annum 428. Sisinio successit in Episcopatu Constantinopolitano, docebant Christum esse Deum & hominem, non hypostatica, & in unitate personæ, sed morali tantum unione simul conjunctos: *Eutychiani* quibus Eutyches jam senio confectus circa annum 448 sicut denominationem ita etiam errorem ministravit, contendebant in Christo unam tantum esse naturam ex divina & humana simul permixtam. Monothelitæ autem ducibus præsertim Sergio Constantinopolitano, & Pirrho Thasidis Episcopo, statuebant unam tantum in Christo voluntatem unamque Operationem, quam *theandricam* idest *Deo virilem* nominabant: de his autem, sicut de aliis omnibus hæresibus, quæ istas subsecutæ sunt, jure optimo affirmat S. P. Augustinus Tract. 18. in Joan. dicens *non aliunde natæ sunt hæreses, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, temere, et audacter asseritur*.

karminum, & deinceps apud omnes, qui de hoc argumento diffusius pertractant, S. Epiphanius hæres. 60. inquit *Oportet & traditione uti, non enim omnia a divina scriptura accipi possunt*: sic etiam Tertullianus in lib. de Carne Christi cap. 2. ait *Si tantum Christianus es, crede, quod traditum est*. Sic denique etiam S. Basilius, præter ea, quæ supra adduximus ex lib. de Spiritu Sando, in eodem libro cap. 27. affirmat expresse dicens *dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, idest in occulto tradita recepimus*: ex quibus non immerito concludi debet, quod præter Verbum Dei scriptum, admitti debeat etiam Verbum Dei traditum, sive divina traditio, ad determinandum ex integro omnia, & singula nostræ fidei dogmata.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. 1. Tam in Veteri, quam in Novo Testamento prohibentur expresse additiones ad verbum scriptum: nam primo in Deuteron. cap. 4. v. 2. ait Deus *non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ab eo*: deinde in Apocalypsi cap. 22. v. 18. legitur *si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*: in eundem sensum ait Paulus ad Galat. cap. 1. v. 8. *licet nos, aut Angelus de Cœlo Evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis anathema sit*: præterea etiam Christus ipse Math. cap. 15. v. 3. reprehendit Judæos quia verbum traditum suscipiebant dicens *quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Sane autem ad determinandum fidei dogmata valere non potest, quidquid pa-

lam in verbo scripto reprehenditur, & reprobatur: ergo &c.

Respond. ad primum *dist.* Prohibentur additiones verbo scripto contrariæ *conc.* Verbo scripto conformes *subdist.* Si fuerint ab hominibus inventæ *conc.* Si sint ab ipso Deo profectæ *nego.* Quoniam, ut superius sæpe dictum est, Verbum Dei scriptum, sive Scriptura Sacra est prima, & præcipua credendorum, & agendorum regula, hinc fit perspicuum quod nihil omnino tanquam de fide admitti, vel suscipi debeat, quod cum Scriptura vel proxime, vel saltem remote non convenit; & multo magis, quidquid Verbo Dei scripto contrarium esse invenitur: ut sequenti capite Regula II. declarabitur: quo posito statim intelligitur, quod neque in Deuteronomio neque in Apocalypsi prohibeantur additiones, quas hoc loco præter Verbum scriptum ad determinandum ex integro omnia, & singula fidei nostræ dogmata necessario admittendas esse statuimus: siquidem tam in Deuteronomio quam in Apocalypsi fit sermo de additionibus ad verbum, quod Deus ipse præcepit; & locutus est: jam vero nos hic loquimur de traditionibus divinis, sive de Verbo Dei tradito, quod in se idem est ratione suæ Originis cum Verbo Dei scripto: ac proinde dum vel in Deuteronomio vel in Apocalypsi prohibetur, ne addatur aliquid ad Verbum, quod Deus vel præcepit, vel locutus est, prohibetur tantum, ne addatur aliquid, quod vel ab hominibus inventum est, vel Verbo Dei contrarium esse reperitur; alioquin enim si absolute, & simpliciter in uno, vel in altero loco prohibita esset omnis additio, tunc illicitum quoque fuisset scribere alios libros, præter Deuteronomium in veteri lege, & præter Apocalypsim in nova, quod est absurdum.

Ad primam confirmat. *dist.* Paulus anathema dicit etiam Angelo de Cœlo Evangelizanti aliquid contra id, quod Evangelizatum erat ab Apostolis: *conc.* Evangelizanti aliquid conforme, & conveniens *nego*. Verbum Evangelizare æque competere potest tam Verbo Dei scripto, quam tradito: universim enim nihil aliud significat quam *bene annuntiare*, ac proinde est indifferens ad significandum doctrinam tam scriptam, quam ore traditam, atque si stricte loqui velimus, videbitur, quod nativa sua vi, & proprie hanc potius quam illam significet: deinde evidens est, quod Apostolus in Epistola ad Galatas, prohibens Evangelizare aliquid, & anathema dicens etiam Angelo de Cœlo, qui Evangelizaret aliquid, præter id, quod ab Apostolo jam Evangelizatum fuerat, sermonem instituat adversus illos, qui Evangelio, idest *doctrinæ bene nuntiatæ* (hoc enim significat vox ista *Evangelium*) contrarium annuntiaret: nam in illa Episiola totus est, ut reprimeret illorum temeritatem, qui nimio & intempestivo zelo erga legis præcepta, conabantur abducere fideles ab Evangelio contendentes, quod cum lege Christi necesse esset conjungere etiam circumcisionem, & observare præcepta Moysis, quos propterea etiam ibidem versiculo 6. expresse reprehendit dicens *miror quod tam cito transferimini in aliud Evangelium*: adeoque particula illa *præter* in versiculo 8. apposita aliam non potest habere significationem, neque aliter accipi, quam pro *contra*, ita ut Apostolus anathema intorquere intelligatur etiam in Angelum de Cœlo, si per impossibile aliquid annuntiaret, quod doctrinæ Evangelii, quam Galatas scripta Epistola docebat, contrarium esset, atque oppositum.

Ad alteram confirmat. *dist.* Christus ipse reprehendit Judæos, quia suscipiebant verbum traditum

humanum, & falsum *conc.* secus *nego*. Nempe Math. cap. 15. v. 3. damnantur traditiones vanæ, & excogitatæ, non ad confirmandum, sed ad eludendum Verbum Dei; prout clare innotescit ex ipsis verbis, quibus abutuntur hæretici; siquidem Christus eo loci vocat easdem *mandata hominum*, & transgressiones *mandatorum Dei*: & ibidem vers. 9. subjungit dicens *sine causa colunt me docentes doctrinas*, *& mandata hominum*: quæ desumpta sunt ex Isaia cap. 29. v. 13.

Opp. 2. Permulti ex Sanctis Ecclesiæ Patribus docent quod Sacra Scriptura sola sit nostræ Fidei regula: alii quod eadem contineat omnia credenda; alii quod tanquam falsa rejici debeant, quæ scriptura non continentur: alii vero ajunt, quod scriptura sola ad Fidem sufficiat: & omnes fere provocant hæreticos ad solam scripturam: imo sunt non pauci, qui traditiones disertis verbis reprobant: tandem constat perpetua, & fere quotidiana experientia, quod doctrinæ, quæ de ore ad os transeunt, sicuti sunt necessario omnes traditiones non scriptæ, ordinarie fallaces sint, & nullus fere est error, qui per traditionem non invaluit, vel per traditionem propagatus non fuerit; ut patet de Palytheismo, qui totum orbem infecit; item de Mahumetanismo, verbo de omnibus hæresibus; ergo traditio universim non solum non est necessaria, sed etiam est nociva fidei.

Respond. ad primum: Cum nobis non fuerit, neque sit animus integrum tractatum polemicum conscribere, & tota ista Exercitatio eo tantum directa sit, ut generalia ostendantur principia, quibus ad penitiorem Theologiam aditus præparatur, existimavi opus haud esse, ut singula momenta, quæ adversus necessitatem traditionum ex Sanctorum Patrum

scriptis plurima collegit Dallæus Calvinista, seorsim expenderem, & singillatim vindicarem a falsis hæreticorum interpretamentis, sed tantum, ut indicatis in genere difficultatibus istis, generica quoque pararem principia, quibus tam omnes, & in communi, quam singulæ, & seorsim facile dissolvi possent.

Itaque primo dum Patres docent Sacram Scripturam esse regulam nostræ Fidei, intelligi debent vel de regula partiali, sicuti S. Joannes Chrysostomus, dum Hom. 13. in Epist. 1. ad Corinth, appellat Sacram Scripturam, exactissimam *trutinam*, *gnomonem*, & *regulam*: nam loquitur de Scriptura relate ad præcepta moralia, quæ omnia satis clare expressa in illa inveniuntur: vel etiam intelligi debent de scriptura intellecta secundum Ecclesiæ magisterium, sicuti est S. Basilius in Epist. 80. ubi ait *Stemus arbitratui inspiratæ a Deo Scripturæ*; ac proinde non excludunt divinas traditiones.

Secundo Patres qui docent in scriptura contineri omnia credenda loquuntur de credendis necessariis, idest de præcipuis nostræ fidei mysteriis, quæ ordinarie in Sacra Scriptura satis clare continentur, ut dictum fuit sect. 1. cap. 2. quanquam non ita, ut per se omnibus etiam eluceant, & manifesta fiant: & huc pertinent verba S. Joannis Chrysostomi in Epistolam ad Titum: scilicet *Evangelium continet*, & *præsentia*, & *futura*, *honorem*, *pietatem*, *fidem*: quamvis, quod hic notandum est, Sanctus iste Doctor hoc loco loquatur, non de scriptura præcise, sed de Evangelio, cujus nomine intelligi potest Doctrina Fidei universim, idest quatenus tam verbo scripto, quam tradito continetur: nam Evangelium proprie significat id quod *bene nuntiatum* est: ut supra notavimus.

Tertio Patres, qui non contenta in scripturis, tanquam falsa generatim rejiciunt, loquuntur semper de

singularibus argumentis adversus hæreticos, qui ad incrustandos errores suos specie aliqua veritatis falsas sæpe traditiones excogitasse comperti sunt: & hoc sensu intelligendus est Sanctus Hieronymus comment. in Epistolam ad Titum dicens *sine scripturarum auctoritate garrulitas non habet fidem*.

Quarto. Qui ajunt scripturam sufficere, non propterea excludunt necessitatem divinarum traditionum relate ad omnia credenda, sed tantum relative ad credendum illa, ad quæ credenda scriptura sacra sufficit, idest relate ad credenda necessaria, sive ad principalia nostræ fidei dogmata: in quo sensu inquit S. P. Augustinus Tract. 49. in Joannem *electa sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur*.

Quinto qui provocant hæreticos ad scripturam, provocant illos semper in subjecta materia: idest quando scriptura sufficiens est ad illorum errores prosternendos, sicut fit quando sermo est de primariis fidei articulis, de quibus hic supra diximus, quod ordinarie satis clare in scriptura contineantur: & huc pertinent, quæ habet S. P. Augustinus in lib. 3. contra Maximinum cap 14. ubi ait *Scripturarum auctoritatibus, non quorumcumque propriis, sed utriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione decertet*.

Sexto Patres, qui traditiones disertis verbis rejiciunt, loquuntur semper de traditionibus hominum ingenio excogitatis, ut facit S. Hieronymus contra Helvidium, dum inquit, *sicut hæc, quæ scripta sunt, non negamus; sic ea, quæ non sunt scripta, renuimus*: nam ibidem exagitat hæreticum istum in eo, quod sine omni fundamento, & sine autentico testimonio asserere audebat Mariam Virginem post mortem Joseph alteri viro nupsisse: quod rectissime negavit, &

admittere renuit vel propter hanc solam rationem, quia scriptum non erat.

Ad alterum *dist.* Doctrinæ, quæ de ore ad os transeunt, sunt ordinarie fallaces, per accidens, & vitio hominum *conc.* Natura sua, & vitio traditionum: *nego*. Certissimum est, nec a quopiam jure negari potest, quod maxima ex parte in cognitione veritatum non aliunde proficiamus, quam ex traditione, & relatione majorum: etenim ut omittamus, nos nihil plane scire eorum, quæ sunt, & fiunt in dies in dissitis a nobis regionibus Americæ, Asiæ, Affricæ &c. nisi ex relatione illorum, qui regiones illas ipsi personaliter lustraverunt, sane ut apposite hic ratiocinatur S. P. Augustinus lib. 33. contr. Faustum cap. 6. *Platonis*, *Aristotelis*, *Ciceronis*, *Varronis*, *aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibi succedentium contestatione continua?* Igitur quamvis negari non possit, quod illa, quæ inter homines de ore ad os transeunt, sæpe pessime corrumpi soleant, & ad extremum plurimis etiam falsitatibus permixta esse inveniantur; istud non fit ex vitio traditionum, quasi hæ ineptæ sint per se & ex natura sua, ad veritatem aliquam incorrupte ad posteros deducendam, sed per accidens, idest vel ex imperitia, vel ex malitia hominum, quibus fit, ut medium per se bonum, atque ad veritatem ad posteros deducendam satis idoneum, & aliquo modo etiam sufficiens, convertatur in malum, & ex instrumento veritatis fiat Instrumentum falsitatis & erroris.

Ad Confirmationem *conc. ans.* & negatur conseq. Nimirum fatemur, quod nullus fere in mundo obtinuerit error, qui a traditionibus, vel non invaluit, vel aliquo pacto postea traditione propagatus non fuerit. Verum quod per accidens contingit in tra-

ditionibus humanis, nullo jure detorqueri potest; & aptari ad traditiones divinas: nam primo universim alia plane est ratio rerum humanarum, alia vero divinarum: neque vitia hominum ullo modo corrumpere possunt dispositiones mirabiles æternæ providentiæ Dei.

Deinde certissimum est, quod traditiones in manu Dei fuerint semper medium aptum propagandæ veritatis: sane enim notum est omnibus quod in statu legis naturæ, qui duravit ab Adam usque ad Moysem; idest bis mille annis, vera Religio, cujus basim & fundamentum fuisse divinam revelationem sect. 1. cap. 1. Propos. 2. in Respons. ad primum notavimus, pura & illibata conservata fuerit; & non solum ante, sed etiam post diluvium per posteros Noe ad seros illius Nepotes filios Israel pura & illibata, sine ullo scripto testimonio, & sola orali traditione, propagata sit, ita ut, Deo sic providente, longo illo tempore, aut malitia aut imperitia hominum ex toto ab hominum cordibus deleri nunquam potuerit; ut adeo non videatur, cur in nova lege fieri non possit, ut contendunt hæretici, scilicet, ut relatis in scripturam præcipuis nostræ fidei dogmatibus, alia sine scripto, & sola orali traditione majorum illibate ad posteros transmissa fuerint.

Prætera in hac fide, quod scilicet traditiones divinæ non possint esse fallaces, sicuti fallaces sunt traditiones humanæ, etiam inde confirmamur, quia Christus Ecclesiam suam ita instituit, ut portæ inferi adversus illam prævalere nullo unquam tempore valeant Math. cap. 16. v. 18. & quia promisit se cum illa permansurum usque ad consummationem sæculi ibid. cap. 28. v. 20. ex his enim necessario sequitur, quod ipse, dum voluit, ut in ea haberetur tam verbum suum scriptum, quam Verbum traditum, pro-

viderit hoc ipso, & semper provisurus sit, ut nullo unquam tempore tam unum, quam alterum, vel malitia, vel imperitia hominum in substantialibus, cujusmodi sunt fidei, & morum dogmata, corrumpi, aut depravari revera valeant.

Ulterius *ipse*, Christus scilicet ut testatur Paulus in Epist. ad Ephes. cap. 4. v. 11. *dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consumationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Idest usque ad mundi finem: igitur stante illa modo memorata promissione, & provida ista Pastorum ac Doctorum designatione nullatenus verendum, imo ne leviter quidem suspicandum est, quin aliquando contingere possit, ut traditiones illæ, quas ad integre constituendum omnia, & singula fidei dogmata necessario admittendas esse defendimus, adinstar humanarum traditionum propter imperitiam, vel malitiam illorum, quorum curæ primitus commissæ fuerunt, ut illas ad posteros demandarent, aut ab istorum successoribus aliquando corruptae fuerint, vel in futurum corrumpi possint.

Huc accedit quod traditionum istarum, quas Ecclesia pro divinis suscipit, & quas ad integrum fidei depositum illibate servandum necessarias esse defendimus, etiam intrinseca indoles, & natura longe diversa sit ab ea, qua præditæ sunt traditiones humanæ, quibus errores vel invecti, vel propagati unquam fuerunt, ut adeo etiam inde merito concludi possit, istas quidem, non autem illas posse esse fallaces; nam primo traditiones divinæ fuerunt semper universales statim ab initio, tam tempore quam loco: etenim Ecclesia nullum unquam agnovit alium articulorum suæ fidei auctorem, quam solum Jesum

Christum vel ore proprio, vel inspiratis Apostolorum oraculis proloquentem: & Apostoli annuntiarunt omnibus gentibus statim ab initio integram fidem, eodem plane tempore in omnibus hujus mundi nobis notis regionibus: ut Acta Apostolorum testantur. E contra vero traditiones, quibus errores, vel invecti, vel propagati sunt, non fuerunt, nisi particulares tantum, uni duntaxat tempori, & loco alicui determinato respondentes, ut patet de Mahumetanismo, & de hæresibus singulis, de quibus certo scimus, quod non eruperint, nisi in obscuro aliquo terræ angulo, & quod in progressu non increverint, nisi paulatim, & sub diversis aspectibus: secundo traditiones divinæ sunt semper uniformes: neque enim in Ecclesia unquam recipitur, vel receptum aliquando fuit aliquid, tanquam de fide, nisi id *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est*. Ut ait Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 3. dum econtra traditiones falsæ semper sunt variæ & inconstantes, quemadmodum patet præcipue de illis, quibus Polytheismus olim increvit: nam aliae nationes coluerunt istos, aliae vero illos Deos, pro temporum & locorum, & subinde etiam pro personarum diversitate diversos; ut luculentissime patet ex historiis Graecorum, & Romanorum, apud quos etiam singulares familiae suos proprios habebant Deos penates: tandem tertio, traditiones divinae primum innotuerunt per homines minime potentes, idest neque scientiarum laude commendatos, neque opum & honorum dignitate conspicuos, neque nominis fama claros, neque rerum agendarum dexteritate celebres, sed rudes & pauperes, Piscatores scilicet abjectos, & humiles, ut sect. I. cap. I. notatum jam fuit: & propagatae deinceps fuerunt per nudam & simplicem verbi praedicationem; & econtra traditiones errorum, vel ini-

tium habuerunt per homines factiosos, & praepotentes, atque incrementum acceperunt fraude, & vi armorum, ut in Mahumetanismo, vel certe & incaeperunt, & propagatae fuerunt in astutia, & circumventione simplicium, maxime autem promissione bonorum temporalium, & felicitatum hujus vitae, ut patet in propagatione Lutheranismi, & Calvinismi, quae haereses, sicut etiam libertinismus, qui circa finem saeculi praeteriti, & initium currentis decimi-noni per totum fere orbem se diffundere visus est, maximum assecutae sunt incrementum in direptione, & violenta expoliatione bonorum Ecclesiae.

CAPUT III.

De Regulis discernendi Traditiones.

Traditiones divinæ sunt omnino, & semper immutabiles, neque possunt auctoritate Ecclesiæ ullo modo inverti, vel abrogari: econtra autem humanæ, non solum profanæ, de quibus nulla est quæstio, sed etiam illæ, quæ sacræ, & Ecclesiasticæ vocantur, imo etiam pure Apostolicæ, præsertim quæ ad disciplinam exteriorem Ecclesiæ pertinent, sunt spectatis temporum, locorum, & personarum circumstantijs mutationi obnoxiæ; quia non continent, nisi statuta hominum, qui sicut absolute errare possunt, ita nihil ab ipsis statui potest adeo fixum, & firmum, ut ab alijs hominibus æquali auctoritate præditis, inverti, & immutari nequeat: quamobrem maxime interest probe discernere, quid in materia traditionum divinum sit, quid vero humanum? pro qua re juvabit plurimum sequentes expendere regulas.

Regula I. Ad solam Ecclesiam pertinet certo, supremo, & infallibili judicio secernere, tum veras traditiones a falsis, tum divinas a pure Apostolicis, & utrasque ab Ecclesiasticis; ac tandem etiam judicare de particularibus singularum Provinciarum, & particularium Ecclesiarum traditionibus proprijs.

Regula II. Nullimode suscipiendum est tanquam divinitus traditum, *primo* quidquid manifeste, vel fabulam, vel superstitionem redolet. *Secundo* quidquid contradicit, & oppositum est certæ, & aliunde jam cognitæ revelationi divinæ. *Tertio* quidquid pugnat, vel secum ipso, vel cum adjunctis, & circumstantijs rerum gestarum: ac tandem. *Quarto*

quidquid cum Scriptura sacra, quæ est prima, & principalis fidei, & morum regula neque proxime, neque remote cohærens est, & conveniens: nam hæc omnia adversantur summæ, & immutabili divinæ veracitati, ac proinde non possunt habere divinam originem.

Regula III. Illa traditio non est divina, sed tantum humana, quæ licet in universa observetur Ecclesia, initium tamen habere cognoscitur, vel a Conciliorum, & Summorum Pontificum decretis, vel a statutis Sanctorum Ecclesiæ Patrum: nam ut traditio aliqua divina censeri valeat, necesse est, ut doctrinam contineat divinitus revelatam; Jam autem Ecclesia post Christi, & Apostolorum tempora, non agnoscit, neque suscipit novas de fide, & moribus revelationes (Vid. Sect. I. cap. 2. Nota 3.) unde inquit Vincentius Lirinensis in Common. cap. 27. *Quid est depositum? quod tibi creditum est, non a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenij, sed doctrinæ; rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator, non docens, sed sequens.*

Regula IV. Doctrina omnis, quæ ab uno aliquo, aut paucis scriptoribus, licet antiquis, vel ab una aliqua, vel altera particulari Ecclesia custoditur, cæteris omnibus dissentientibus, non est divinitus, sed humanitus tradita; nam attentis divinis promissionibus vera Christi Ecclesia non potest unquam ita obscurari, ut ad unum tantum aliquem, vel alterum terræ angulum redigatur; sicut adversus Donatistas invicte ostendit S. P. Augustinus præsertim in libris de Baptismo, & nos etiam hic infra Sect. 3. cap. 5. propos. 3. ostendemus; ergo etiam doctrina fidei, sicuti est omnis doctrina divinitus revelata,

& tradita, non potest unquam limitari ad unum tantum, vel alterum, & ad paucos aliquos, sive antiquos, sive recentes scriptores, vel ad unam tantum, & alteram particularem Ecclesiam, cæteris omnibus dissentientibus; ac proinde etiam doctrina omnis sic limitata non potest esse divinitus tradita.

Regula V. Omnis doctrina quam veluti de fide quovis sæculo tenuit, & propugnavit Ecclesia universa, licet in sacra Scriptura non inveniatur expressa, est certissime doctrina divinitus tradita; nam Ecclesia nihil recipit tanquam de fide, nisi fuerit divinitus revelatum: traditur autem hæc regula imprimis a S. P. Augustino in lib. 4. de Baptis. cap. 20. ubi ait: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur:* deinde eandem tradit, & comprobat modo citatus Vincentius Liriniensis in Common: cap. 3. ubi docet, *Tria sectanda esse homini Christiano, universitatem, antiquitatem, & consensionem: sequemur autem universitatem hoc modo* (ut prosequitur ibi idem auctor) *si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos Sanctos majores nostros, & Patres celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasque sectemur.*

Regula VI. Observantia omnis quam universa custodit Ecclesia, si sit hujusmodi, ut illam solus Deus instituere potuerit, est etiam ipsa certissime ex divina, & apostolica traditione. Jam vero observantiæ, quas solus Deus instituere potest, dicuntur illæ, quæ ita cum dogmate aliquo, vel cum recto

Ecclesiae statu conjunctae sunt, ut sine eversione dogmatis, & status Ecclesiae convelli non possint: sicuti sunt primo consuetudo baptizandi parvulos ante usum rationis; de qua S. P. Augustinus in lib. 10. de genes. ad liter. cap. 23. inquit *consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio*. Deinde observantia iterum non baptizandi in quacunque hæresi cum debita materia & forma verborum jam semel baptizatos; atque missio inferiorum ministrorum Ecclesiæ a Superioribus (1).

(1) Missio ista Ministrorum Ecclesiæ, inferiorum scilicet a Superioribus, est proprie id, quo constituitur intrinsece *Ordo hierarchicus*; sive *Hierarchia Ecclesiastica*; de qua supra cap. 1. diximus, quod ad traditiones immutabiles pertineat, & quam ex traditione divina descendere cum theologis omnibus merito hic affirmamus, præcipue propter hanc rationem, quia sine tali ordine ministerium ipsum Ecclesiæ necessario mancum esset, & imperfectum; ac proinde non potest habere alium auctorem, nisi Christum ipsum, a quo Ecclesia in suo esse perfecto immediate constituta fuit: loquimur autem hic de hierarchia & ordine hierarchico Ecclesiæ absolute spectato, & quatenus intrinsece constituitur; scilicet quatenus complectitur supremum hierarcham & inferiores, qui a supremo illo in potestate regiminis & jurisdictionis necessario, & ex Christi institutione dependent, qua sublata, & perturbata, necesse est, ut evertatur & perturbetur essentiale constitutivum Ecclesiæ Christi: siquidem, ut sequenti Sectione cap. 2. ostendetur, Christus Ecclesiam suam ita instituit, ut voluerit illam esse unam, non solum unitate fidei & doctrinæ, sed etiam unitate regiminis, idest ut unus esset in illa supremus Pastor & Rector, a quo cæteri Pastores & Rectores necessario dependere deberent: unde recte docet Joannes Gerson *de Auferibilitate* Consider. 8. *eos qui sentiunt quod quilibet Episcopus in sua diæcesi est Papa, vel Pastor supremus æqualis Papæ romano, errant in fide,*

Regula VII. Omnis institutio, quam quovis sæculo universa custodivit Ecclesia etiamsi sit ejusmodi, quæ ab Ecclesia fieri potuerit, si tamen constet, quod profecta non sit vel a Conciliorum & summorum Pontificum decretis, vel a statutis Sanctorum Patrum, creditur etiam ipsa merito & recte non aliunde in Ecclesiam derivata, quam ab Apostolis: atque ideo in lib. 4. *de Verbo Dei* cap. 20. jure contendit Bellarminus quod jejunium quadragesimale (quod etiam nos supra cap. 1. ex S. Ignatio in Epist. ad Philipp. & S. Leone serm. 8. de jejun. affirmavimus) non minus quam institutio quatuor ordinum minorum in Ecclesia descendat ex traditione apostolica, ob hanc potissimum rationem quia certo indicari nequit, quo auctore, vel quo tempore duæ istæ institutiones in Ecclesiam invectæ fuerint: quidquid obganniat Calvinus lib. 4. Institut. cap. 12. ubi observantiam jejunij quadragesimalis vellicat tanquam superbam superstitionem excogitatam ad imi-

& unitate Ecclesiæ contra articulum hunc, & unam Sanctam Ecclesiam; & si pertinaces maneant, judicandos esse hæreticos: de cætero autem, quod inferiores hierarchæ in Ecclesia Christi sint Primates, seu Patriarchæ, Archiepiscopi, seu Metropolitæ, & Pastores primi & secundi Ordinis, ut ajunt, idest Episcopi vel Parrochi, hoc habent ex dispositione sacrorum Canonum Ecclesiæ, idest ex jure Ecclesiastico; ut recte observat Juvenin de Sacramentis diss. 9. de Ordine quæst. 1. art. 3. ad object. 3. ubi ait *Diæceseon quibus Episcopi præsunt, aut amplitudo, aut coarctatio humani est juris, quod quidem ubi saluti populorum expedierit, vicissitudini obnoxium est*: quod verum est etiam in sententia illorum theologorum, qui affirmant, quod in Episcopos, successores nimirum Apostolorum, non solum potestas ordinis, de qua nemo plane est, qui dubitat, sed etiam illa, quæ jurisdictionis & regiminis dicitur, descendat immediate ex institutione Christi, & ex vi ordinationis illorum: nam,

tandum jejunium Christi quadraginta dierum, & quadraginta noctium, atque ordines minores tanquam inventum novitium, quod rabulas Canonistas & Sorbonistas (sic vocat Doctores celeberrimæ olim Parisiensis sacræ theologiæ facultatis & juris Pontificij peritos) parentes, & propagatores habeat.

Regula VIII. Omnis doctrina quam constanter semper servaverunt præcipuæ & Apostolicæ Ecclesiæ in quibus nunquam interrupta fuit Episcoporum successio ab Apostolis, licet in illam non videantur subinde consentire omnes & singuli Ecclesiæ Patres, & scriptores Ecclesiastici, pertinet tamen etiam ipsa certissime ad divinas traditiones: etenim ut observat Tertullianus in lib. de Præscript. cap. 21. *constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit*: atque hinc intelligitur ratio, cur in discernendis traditionibus, quæ vel ab ipsius Christi ore, vel a Spiritu Sancto dictante ab Apostolis acceptæ, & quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, in Ecclesia Christi cæteris semper præ-

ut suo loco iterum animadvertemus, potestas ista jurisdictionis, ex omnium consensu, neque valide neque legitime exerceatur, vel exerceri potest, nisi dependenter a supremo Hierarcha, scilicet a romano Pontifice, a cujus nutu dependet potestatis illius ampliatio, vel coarctatio, sicuti expresse docet Thomassinius, de Veteri & nova disciplina Ecclesiæ part. 2. lib. 1. cap. 45. num. 3. ubi ait *nam Episcopi obtinent illi quidem immediate a Christo jurisdictionem suam: sed non ab illo immediate consecuti sunt territorium hoc suum, & peculiarem diœcesim: cum hæc partitio facta fuerit voluentibus sæculis ab Ecclesia, nec fieri potuerit, nisi consensione capitis, in quo est cardo, et centrum ecclesiasticæ unitatis.*

t

lata fuerit, & jure præferri debeat illa doctrina, quam tenuit & tenet Ecclesia romana; & simul etiam cur Ecclesia ista communiter vocatur *magistra veritatis*, quia scilicet cum instituta fuerit immediate a Petro Principe Apostolorum, & deinceps etiam ab Apostolo Paulo, qui in propagatione Evangelij plus cæteris laboravit, decorata, & erudita; in ea quoque nunquam defecit, & nunquam interrupta fuit legitima Episcoporum suorum ab Apostolis successio: ac propterea jure etiam S. Irenæus in lib. 3. adversus hæreses pronuntiat dicens *ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio*.

Dictum est *licet in illam non videantur subinde consentire omnes & singuli Ecclesiæ Patres*: nam universim Patres Ecclesiæ sunt testes immediati divinarum traditionum: ex quo fit, ut si Patres omnes in veritatem aliquam unanimiter consentiant, unanimis iste illorum consensus haberi, & jure suscipi debet tanquam certum, & indubium divinæ traditionis argumentum, secundum ea quæ supra regula V. ex Vincentio Lirinensi diximus: & propterea etiam Concilium Tridentinum sess. 4. jure vetat *ne quis ipsam sacram Scripturam contra unanimem Sanctorum Patrum consensum interpretari audeat*.

Postremo, ut hic nihil desit illorum, quæ ad materiam traditionum pertinent, saltem ex illis, quæ generalia principia respiciunt: sciendum est, quod fideles teneantur firmiter admittere atque amplecti, non modo divinas & apostolicas, sed etiam Ecclesiasticas traditiones, sicuti habetur in professione fi-

dei catholicæ præscripta a Concilio Tridentino, & in qua post recitatum symbolum Apostolorum immediate subjicitur explicita prædictarum traditionum professio in hæc Verba, nimirum *Apostolicas & ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissime admitto & amplector* sed de his satis.

Finit Volumen Primum.

[illegible]

[illegible]



INDEX

Sectionum, Capitum, & Propositionum.